26
26
52
13

32

149

20
10
2

18

Enchiridion cõſti-
tutionum Fratrum Ordinis ſancti
Auguſtini de Obſeruantia, coronæ Arago-
num, ad mores dũtaxat ſpectantium:

VNA CVM REGVLA BEATI patris Auguſtini in principio appoſita.



VALENTIÆ,

APVD PETRVM A' HVETE.
1571.

INCIPIT REGVLA SANCTI PATRIS NOSTRI *Augustini Hipponensis Episcopi, & Doctoris Ecclesiæ.*

CAP. I.

ANTE omnia, fratres cha- *Deute.6.*
rissimi, diligatur Deus; *A. Mat-*
deinde proximus: quia *th.22. D.*
ista præcepta sunt princi- *Marc.22.*
paliter nobis data. Hæc *C. Luc.10*
igitur sunt quæ vt obser- *D.*
uetis præcipimus, in Mo-
nasterio constituti. Pri-
mùm, propter quod in
vnum estis congregati, vt vnanimes habitetis in
domo,& sit vobis anima vna,& cor vnũ in Deo. *Act. 4.*
Et non dicatis aliquid proprium, sed sint vobis *G.*
omnia communia:& distribuatur vnicuique ve- *12. q. 1. c.*
strum à præposito vestro victus & tegumẽtum; *nõdicatis.*
non æqualiter omnibus,quia non æqualiter va-
letis omnes; sed potiùs vnicuique, sicut cuique
opus fuerit. Sic enim legitis in Actibus Aposto- *Act.2.et*
lorum; quia erant illis omnia communia: & di- *4.in fine.*
stribuebatur vnicuique,sicut cuique opus erat.
Qui verò aliquid habebant in seculo, quando
ingressi sunt monasterium, libenter velint illud

esse commune. Qui autem non habebant, non ea quærant in Monasterio, quæ nec foris habere potuerunt. Sed tamen eorum infirmitati quod opus est, tribuatur: etiam si paupertas eorũ quãdo foris erant, nec ipsa necessaria poterat inuenire. Non tamen ideò putent se esse felices, quia inuenerunt victum & tegumẽtum, quale foris inuenire nõ potuerunt. Nec erigant ceruicẽ, quia sociantur eis, ad quos foris accedere non audebant: sed sursum cor habeant, & terrena vana nõ quærant: ne incipiant Monasteria diuitibus esse vtilia, non pauperibus; si diuites illic humiliãtur, & pauperes illic inflantur. Rursus etiam illi qui aliquid esse videbantur in seculo, non habeãt fastidio fratres suos, qui ad illam sanctam societatẽ ex paupertate venerunt. Magis autem studeant non de parentum diuitum dignitate, sed de pauperum fratrum societate gloriari. Nec extollantur si communi vitæ aliquid de suis facultatibus contulerunt: nec de suis diuitijs magis superbiãt quia eas Monasterio pertiuntur, quàm si eis in seculo fruerentur. Alia quippe quæcumque iniquitas in malis operibus exercetur, vt fiant: superbia verò etiam bonis operibus insidiatur, vt pereant. Et quid prodest dispergendo dare pauperibus, & pauperem fieri; cùm anima misera superbior efficitur diuitias contemnendo, quàm fuerat possidendo? Omnes ergo vnanimiter &

con-

concorditer viuite: & honorate in vobis Deum inuicem, cuius templa facti eſtis. *1. Corith. 3. & 6.*

CAPITVLVM SECVNDVM.

ORationibus inſtate, horis & temporibus conſtitutis. In Oratorio nemo aliquid agat, niſi ad quod factum eſt, vnde & nomen accepit: vt ſi fortè aliqui, etiam præter horas conſtitutas (ſi eis vacat) orare voluerint, non eis ſint impedimento qui ibi aliquid agendũ putauerint. Pſalmis & hymnis cùm oratis Deũ, hoc verſetur in corde, quod profertur in ore. Et nolite cãtare, niſi quod legitis eſſe cantandũ. Quod autem non ita ſcriptum eſt vt cantetur, non cantetur. Carnem veſtram domate ieiunijs, & abſtinentia eſcæ & potus, quãtum valetudo permittit. Quando autem aliquis non poteſt ieiunare, non tamen extra horam prandij aliquid alimentorum ſumat: niſi cùm ægrotat. Cùm acceditis ad menſam, donec inde ſurgatis; quod vobis ſecundum cõſuetudinem legitur, ſine tumultu & contentionibus audite: ne ſolæ vobis fauces ſumant cibum, ſed & aures eſuriant verbum Dei. Qui infirmi ſunt ex priſtina conſuetudine, ſi aliter tractantur in victu, non debet alijs moleſtum eſſe, nec iniuſtum videri eis, quos fecit aliqua cõ-

Mat. 26. D. 1. Cor. 11. E & adducitur. 42. d. in Oratorio.

Rationabile ſit obſequiũ veſtrum. ad Rom. 13. a

ſuetudo fortiores. Nec illos feliciores putēt, quià ſumunt quod non ſumūt ipſi: ſed ſibi potiùs gratulentur, quia valent quod non valent illi. Et ſi eis qui venerunt ex moribus delicatioribus ad Monaſterium, aliquid alimentorum, veſtimentorum, operimentorum've datur, quod alijs fortioribus, & ideò felicioribus, non datur: cogitare debent quibus non datur, quantum de ſua ſeculari vita illi ad iſtā deſcenderint; quamuis vſq; ad aliorum, qui ſunt corpore firmiores, frugalitatem peruenire non potuerint. Nec debent velle omnes quod paucos vident ampliùs, nō quia honorantur, ſed quia tollerantur accipere: ne cōtingat deteſtanda peruerſitas, vt in Monaſterio, vbi quantum poſſunt fiunt diuites laborioſi, fiāt pauperes delicati. Sanè, quemadmodum ægrotātes neceſſe habent minus accipere, ne grauētur: ita & poſt ægritudinem ſic tractandi ſunt, vt citiùs recreentur; etiam ſi de humillima ſeculi paupertate venerint; tanquam hoc illis cōtulerit recentior ægritudo, quod diuitibus anterior conſuetudo. Sed cùm vires priſtinas reparauerint, redeant ad feliciorem conſuetudinem ſuam: quę famulos Dei tanto ampliùs decet, quanto minùs indigēt; ne cibi eos voluptas iam teneat vegetatos, quos neceſsitas leuarat infirmos. Illos extiment ditiores, qui in ſuſtinenda parcitate fuerint fortiores. Meliùs eſt enim minùs egere, quā plus habere.

Habētes victū & veſtitū, ſimus contēti. 1. ad Timoth. 6

CA-

CAPITVLVM TERTIVM.

NOn ſit notabilis habitus veſter: nec affectetis veſtibus placere: ſed moribus. Quando proceditis, ſimul ambulate. Cùm veneritis quò itis, ſimul ſtate. In inceſſu, ſtatu, habitu, & in omnibus motibus veſtris, nihil fiat quod cuiuſquam offendat aſpectum: ſed quod veſtram deceat ſanctitatem. Oculi veſtri etſi iaciantur in aliquam fœminarum: in nullam figantur. Neque enim quãdo proceditis, fœminas videre prohibemini: ſed appetere, vel ab ipſis appeti velle, criminoſum eſt. Nec ſolo tacito affectu, ſed affectu, & aſpectu quoque appetitur, & appetit concupiſcentia fœminarum. Nec dicatis vos habere animos pudicos, ſi habeatis oculos impudicos: quia impudicus oculus impudici cordis eſt nuntius. Et cùm ſe inuicem ſibimet, etiam tacente lingua, conſpectu mutuo corda nuntiant impudica, & ſecundum concupiſcentiam carnis alterutro delectantur ardore; etiam intactis ab immunda violatione corporibus, fugit caſtitas ipſa de moribus. Nec putare debet qui in fœminam figit oculum, & illius in ſeipſum diligit fixũ, ab alijs ſe non videri cùm hoc facit: videtur omnino, & à quibus ſe videri nõ arbitratur. Sed

Exod. 20.
Mat. 5. D
32. q. 1. nec ſolo tacito.

etſi lateat, & à nemine hominum videatur: quid faciet de illo deſuper inſpectore, quem latere nihil poteſt? An ideò putãdus eſt non videre: quia tantò videt patientiùs, quantò ſapientiùs? Illi ergo vir ſanctus timeat diſplicere; ne velit fœminæ male placere. Illum cogitet omnia videre, ne velit fœminam malè videre. Illius nãque, & in hac cauſſa commendatus eſt timor: vbi ſcriptum eſt. Abominatio eſt domino defigens oculum. Quã do ergo ſimul eſtis in eccleſia, & vbicunque fœminæ ſunt, inuicem veſtram pudicitiam cuſtodite. Deus enim qui habitat in vobis: etiam iſto modo cuſtodiet vos ex vobis. Et ſi hanc, de qua loquor oculi petulantiam, in aliquo veſtrum aduerteritis, ſtatim admonete, ne cœpta progrediãtur, ſed de proximo corrigantur. Si autẽ & poſt admonitionem, iterum, vel alio quocunque die idipſum facere eum videritis, iam velut vulneratum ſanandum prodat, quicunque hoc potuerit inuenire. Priùs tamen eſt alteri, vel tertio demonſtrandum: vt duorum, vel trium poſsit ore conuinci: & competenti ſeueritate coërceri. Nec vos iudicetis eſſe maleuolos: quando hoc indicatis. Magis quippe nocentes eſtis, ſi fratres veſtros, quos indicando corrigere poteſtis: tacendo perire permittitis. Si enim frater tuus vulnus habet in corpore, quod velit occultari, dum timet ſecari: nonne crudeliter à te ſileretur, & miſericorditer

Leuiti. 1. Matt. 18. & Lu. 17. & . 1. ad Theſſal. 5. Et adducitur ĩ. c. Nouit de iudicijs. E 2. q. 1. c. ſi peccauerit.

Deut. 19. Matt. 18. ſi peccauerit. 5. q. 5. nec vos iudicetis, &c

ter indicaretur. Quanto ergo eum potiùs debes manifestare, ne deteriùs putrescat in corde? Sed ante quàm alijs demonstretur, per quos conuincendus est, si negauerit, priùs præposito debet ostendi; si admonitus neglexerit corrigi, ne fortè secretiùs correctus possit non innotescere cęteris. Si autem negauerit, tunc neganti adhibendi sunt alij, etiam coram omnibus, vt possit non ab vno teste argui, sed à duobus, vel tribus conuinci. Conuictus verò secundum præpositi, vel etiā presbyteri, ad cuius dispensationem pertinet arbitrium, debet emendatoriam subire vindictam. Quam si ferre recusauerit, etiam si ipse non abscesserit, de vestra societate proijciatur. Nō enim & hoc fit crudeliter, sed misericorditer; ne contagione pestifera plurimos perdat. Et hoc quod dixi de oculo non figendo; etiam in cæteris inueniendis, prohibendis, indicandis, conuincendis, iudicādisque peccatis, diligenter & fideliter obseruetur, cum dilectione hominum, & odio vitiorum. Quicumque autem in tantum progressus fuerit malum, vt occultè ab aliquo literas, vel quodlibet munus acceperit: si hoc vltrò confitetur, parcatur illi, & oretur pro eo. Si autem deprehenditur & conuincitur, secundum arbitriū presbyteri, vel præpositi, grauiùs emendetur. *12.q.1. nō dicatis.*

CAPITVLVM QVARTVM.

VEstes vestras in vnum habeatis, sub vno custode, vel duobus, vel quot sufficere possint ad eas excutiendas, ne à tinea lædãtur. Et sicut pascimini ex vno cellario, sic induamini ex vno vestiario. Si fieri potest, ad vos non pertineat, quod vobis indumentum pro temporum congruentia proferatur, vtrum hoc recipiat vnusquisq; quod deposuerat, an aliud quod alter habuerat: dũ tamen vnicuique, prout cuique opus est, non negetur. Si autem hinc inter vos contentiones, & murmura oriuntur: cùm conqueritur aliquis se deterius accepisse quàm priùs habuerat, & indignum se esse quòd non ita vestiatur, sicut alius frater vestiebatur: hinc vos probate, quantũ vobis desit in illo interiori sancto habitu cordis, qui pro habitu corporis litigatis. Tamen, si vestra toleratur infirmitas, vt hoc recipiatis quod posueritis, in vno tamen loco sub communibus custodibus habete quod ponitis: ita sanè, vt nullus sibi aliquid operetur, sed omnia opera vestra in vnum fiant maiori studio & frequentiori alacritate, quàm si vobis singuli faceretis propria. Charitas enim de qua scriptum est, quòd non quærit quæ sua sunt, sic intelligitur: quia communia proprijs, non propria communibus anteponit. Et ideo quantò ampliùs rem communẽ, quàm

2. Corint. 13. B.

propria veſtra curaueritis, tantò vos ampliùs proficere noueritis: vt in omnibus quibus vtitur tranſitoria neceſsitas, ſuperemineat, quæ permanet charitas. Conſequens ergo eſt, vt etiam cùm quis ſuis filijs, aut aliqua neceſsitudine ad ſe pertinentibus, in Monaſterio conſtitutis, aliquã cõtulerit veſtem, ſiue quodlibet aliud inter neceſſaria deputandum; non occultè accipiatur, ſed ſit in poteſtate præpoſiti: vt in rem communem redactũ, cui neceſſe fuerit præbeatur. Quòd ſi aliquis rem ſibi collatam celauerit, furti iudicio cõdemnetur. Indumenta veſtra ſecundum arbitriũ præpoſiti lauentur, ſiue à vobis, ſiue à fullonibus: ne interiores animi ſordes contrahat mũdæ veſtis nimius appetitus. Lauacrum etiam corporis, cùm infirmitatis neceſsitas cogit, minimè denegetur. Fiat ſine murmure de conſilio Medicinæ, ita vt etiam ſi nolit, iubente præpoſito, faciat quod faciendum eſt pro ſalute. Si autem velit, & fortè non expedit, ſuę cupiditati non obediatur. Aliquando enim etſi noceat, prodeſſe creditur quod delectat. Denique ſi latens eſt dolor in corpore, famulo Dei dicẽti quid ſibi doleat, ſine dubitatione credatur. Sed tamen vtrum ſanãdo illi dolori, quod delectat expediat, ſi non eſt certũ Medicus cõſulatur. Nec eãt ad balnea, ſiue quocunque ire neceſſe fuerit, minùs quàm duo, vel tres. Et ille qui habet aliquò eundi neceſsitatem:

cum

cum quibus præpoſitus iuſſerit, ire debet. Ægrotantium cura, ſiue poſt ægritudinem reficiẽdorum, ſiue aliqua imbecillitate, etiam ſine febribus laborantium, vni alicui debet iniungi: vt ipſe de cellario petat quod cuique opus eſſe proſpexerit. Siue autem qui cellario, ſiue qui veſtibus, ſiue qui codicibus præponuntur: ſine murmure ſeruiant fratribus ſuis. Codices certa hora ſingulis diebus petantur. Extra horá qui petierit, non accipiat. Veſtimenta verò, & calciamenta, quando fuerint indigentibus neceſſaria, dare non differãt, ſub quorum cuſtodia ſunt quæ poſcũtur.

CAPITVLVM QVINTVM.

2. Cor. 13. D. LItes, aut nullas habeatis, aut quã celerrimè finiatis: ne ira creſcat in odium, & trabẽ faciat de feſtuca,
1. Ioã. 3. e. & animam faciat homicidam. Sic enim legitis. Qui odit fratrẽ ſuum homicida eſt. Quicunque ergo conuitio, vel maledicto, vel etiam criminis obiectu aliquem læſerit, meminerit ſatisfactione quàm citiùs curare quod fecit: & ille qui læſus eſt ſine diſceptatione
Matth. 5. dimittere. Si autem inuicem ſe læſerint, inuicem ſibi debita relaxare debebunt: propter orationes veſtras, quas vtique, quantò crebriores habetis, tantò ſanctiores habere debetis. Melior eſt autẽ

qui

qui quamuis ira ſæpe tentatur, tamen impetrare feſtinat, vt ſibi dimittat cui ſe feciſſe agnoſcit iniuriam, quàm qui tardiùs iraſcitur, & ad veniam petendam tardiùs inclinatur. Qui autem nunquam vult petere veniam, aut non ex animo petit, ſine cauſſa eſt in Monaſterio: etiam ſi inde nõ proijciatur. Proinde vobis à verbis durioribus parcite. Quæ ſi emiſſa fuerint ex ore veſtro, non pigeat ex ipſo ore proferre medicamenta, vnde facta ſunt vulnera. Quando autem neceſsitas diſciplinæ in moribus coërcendis dicere vos dura verba compellit: etiam ſi ipſi modum vos exceſſiſſe ſentitis: non à vobis exigitur vt à vobis ſubditis veniam poſtuletis: ne apud eos, quos oportet eſſe ſubiectos, dum nimiùm ſeruatur humilitas, regendi frangatur autoritas. Sed tamen petẽda eſt venia ab omnium domino: qui nouit eos, quos plùs iuſto fortè corripitis, quanta beneuolentia diligatis. Non autem carnalis, ſed ſpiritualis debet eſſe inter vos dilectio.

…tth. 5.

D. 86. ca. quando.

CAPITVLVM SEXTVM.

PRæpoſito tanquam patri obediatur: multò magis presbytero, qui omnium veſtrum curam gerit.

CAPITVLVM SEPTIMVM.

Vt

VT ergo cuncta ista seruentur: & si quid seruatum minùs fuerit, non negligenter prætereatur, sed vt emendandum, corrigendumq́; curetur: ad præpositũ precipuè pertinebit, vt ad presbyterũ (cuius est apud vos maior autoritas) referat: quod modum, vel vires eius excedit. Ipse verò qui vobis præest, non se existimet potestate dominante, sed charitate seruiente felicem. Honore coram vobis prælatus sit vobis timore coram Deo substractus sit pedibus vestris. Circa omnes seipsum bonorum operum præbeat exemplum. Corripiat inquietos. Consoletur pusillanimes, suscipiat infirmos. Patiens sit ad omnes. Disciplinam libens habeat: metuẽdus imponat. Et quamuis vtrũque sit necessarium: tamẽ plùs à vobis amari petat, quàm timeri: semper cogitans Deo se pro vobis redditurum esse rationem. Vnde vos magis obediendo, nõ solùm vestri, sed etiam ipsius miseremini: qui inter vos quantò in loco superiori, tantò in periculo maiori versatur. Donet Dominus vt obseruetis hæc omnia, tanquam spiritualis pulchritudinis amatores: & bono Christi odore de bona conuersatione fragrantes: nõ sicut serui sub lege, sed sicut liberi sub gratia cõstituti. Vt autem vos in libello hoc, tãquam in speculo possitis inspicere: ne per obliuionem aliquid negligatur, semel in septimana vo-

1. Thess. 5.

Liberi, libertate qua Christus nos liberauit. ad Gal. 4.

na vo-

na vobis legatur. Et vbi vos inueneritis ea quæ
ſcripta ſunt facientes, agite gratias Domino bo-
norum omnium largitori. Vbi autē ſibi quicun- *Matth.5.*
que veſtrum viderit aliquid deeſſe: doleat de prę-
terito, caueat de futuro, orans vt ei debitum di-
mittatur, & in tentationem non inducatur.

Explicit regula bea tiſsimi patris noſtri Auguſtini, Epiſcopi & Doctoris Eccleſiæ: qui ſemper oret pro no bis. Amen.

Ferdinandi Bona-
uidæ Senatoris Valentini ad
Auguſtinianos Monachos.

QVÆ diſiũcta olim fuerãt cœnobia, tandẽ
iam coëunt ſuperûm numine iuncta ſimul.
Pontificis magni nutu, Regisque Philippi
Sumptibus hoc factum tẽpora læta dedit.
Præfuit huic operi frater Soliſius, alta
Vir pietate nitens, vir probitate grauis.
Et pietas fratrũ, fratrum & cõcordia magna
Nec querulos vnquam protulit ore ſonos.
O vos felices, qui hæc paruæ implere volentes
Impletis ſummi iuſſa ſuprema Dei.
Ergo agite, his iuſsis animos ſubijcite veſtros:
Aethera vos capient, ſidereusq; polus.

INCIPIT

Enchiridion cōſti-tutionum Ordinis ſancti Auguſtini de Obſeruantia coronæ Aragonum, ad mores dumtaxat ſpectantium: editarū in Comitijs Prouincialibus celebratis Valentiæ, ſub Pio quinto Pont. Max. Philippo ſecundo Hiſpaniarum Rege; Præſidente in ipſis Reuerendo admodum patre fratre Roderico de Solis Reformatore Apoſtolico: Pridie nonas Maij, Anno 1571.

FRATER RODERICVS DE SOLIS AVCTORITATE Apostolica Reformator Monasteriorum Ordinis Eremitarum sancti patris nostri Augustini, in regnis coronæ Aragonum: Dilectis Visitatoribus, Prioribus, & reliquis Fratribus eorundem Monasteriorum; Salutem in Domino sempiternam.

CVM non parùm dignitatis, ac pulchritudinis Ecclesiæ accedat, si religionis status in ea vitæ, ac morũ honestate permaneat; in qua ab initio à sanctis Patribus est institutus: Catholicus Rex ac Dominus noster Philippus secũdus, cui hæc præcipuè cura cordi est, Ecclesiæ decorem nõ tantùm integrum cõseruare; sed etiam (quoad fieri potest) augere; à sanctissimo dño nostro Pio.5. Pont. max. impetrauit; vt Monasteria Ordinis nostri, quæ sunt in his regnis coronæ Aragonum, reformarentur; atq; ad pristinum illud Obseruantiæ regu-

regularis institutū restituerentur. ¶ Nobis er-
go, cùm (petente eodem pientißimo Rege) hæc
cura à Rom. Pont. sit demandata; maiori quā
potuimus diligentia, huic muneri satisfacere
studuimus. Nam visitauimus omnia horū re-
gnorum Monasteria, eisq; præposuimus viros
religiosos, ac timentes Deum: atque præcepi-
mus, vt seruarent nonnulla, quæ pro temporū
ac personarum qualitate, visa fuere magis ne-
cessaria. Nec tamen obseruari iußimus omnia
quæ obseruantiæ regularis sanctitas exigit:
Cùm ne statim initio teneros animos, necdum
obseruātiæ moribus assuetos, multitudine præ-
ceptorum premeremus; tum quia res maiori
examine, & maturiori consilio; atque locorū
& personarum exactiori cognitione indige-
bat. ¶ Nūc igitur, rebus omnibus maturè per-
spectis & cognitis; cùm videremus in nostris
Constitutionibus multa esse, quæ cùm ad Con-
uentualium mores spectent, obseruantiæ regu-
lari nequaquā congruunt; multa item pro tē-
pore iam abolita, & antiqua cōsuetudine ob-
seruātiæ prouinciæ Castellæ in melius commu-
tata; vt hæc nostra Prouincia leges habeat bre

ues, faciles, ratione, moribusque receptas; expedire multùm iudicauimus; vt retentis plerisq; ex nostris Cōstitutionibus, desumptisque nonnullis ex Bulla, quam ad Capitulum generale proximè celebratum Perusij, misit summus Pontifex Pius. 5. pro Reformatione Monasteriorum Italiæ: additisque alijs nostro iudicio, aliorumque Patrum accessu pernecessarijs: neque laudabilium prouinciæ nostræ Castellæ consuetudinum obliti; nouum hoc volumē Constitutionum, ad mores solùm spectantium, ederemus; ea vtentes potestate, quæ nobis ad statuta condenda literis Apostolicis est concessa. Quæ quidem literæ habentur in archiuo Cōuētus nostri diui Augustini Valētiæ.

¶ Omnia verò, quæ in his Cōstitutionibus ordinata fuerunt & statuta, firmiter volumus ab omnibus Fratribus obseruari. Nec licebit cuiquam Prælato in illis dispensare vllo modo; nisi vrgens necessitas id poposcerit; & de triū, vel quatuor seniorum Conuentus consilio, mutuoq; consensu. Nam si facilis admittatur dispensatio, omnis legum vis ac robur (vt experientia docēte, accidisse sæpe cognouimus) pau-

latim labefactatur, & corruit. ¶ Ac ne ignorantia quispiam excusari valeat; volumus vt in omnibus Conuentibus sit sufficiens Constitutionum copia; tam Latino, quàm vulgari sermone; & in locis publicis catenula affigatur; præcipuè verò nouitijs tradatur: vt sciat quisque leges, secundum quas vitam suam debeat instituere. Sed vt conscientiarum paci, & quieti consulamus; volumus & declaramus, vt Constitutiones nostræ non obligent nos ad culpam, sed ad pœnam; nisi propter præceptũ, vel contemptum. Nunc igitur librum conscripsimus, in quo quid agere quisque nostrum; vel qualiter vbique se habere debeat, continetur. Dat. in nostro Conuentu diui Augustini Valentiæ, pridie nonas Maij. M. D. Lxxj.

In ſequenti libello

nomine Cōſtitutionis, etiam antiquas additiones intelligimus; nomine autem additionis ſolùm, vel conſuetudines obſeruantiæ, vel recenter addita intelligi volumus.



CAP. I.

Quomodo fratres intrent ad Matuti. & ad alias horas.

AVDITO primo signo ad Matutinũ, festinent surgere omnes fratres, munientes se signo crucis; & honestè atque compositè Chorum adeuntes, antequàm ingrediantur, aqua benedicta se aspergant: & ingressi, vadant ad medium Chori, post Phacistolium, & inclinent se ante maius Altare, profundè & reuerenter, dicentes: Adoramus te Christe, & benedicimus tibi; quia per sanctam crucem tuam redemisti mundum. Posteà verò vadant ad loca sua, vbi flexis genibus orēt. *Cõstitutio* *Additio.*

¶ Ac pulsato vltimo signo cãpanę, ad signũ Prę lati, vel antiquioris, si Prior, vel Supprior non adest, surgant; & profundè inclinati, dicto sub silẽtio, Pater noster, & Aue Maria (qui modus seruetur ad omnes horas) dicant Matutinum de beata Virgine, stando: quo expleto, versi ad Altare, & crucis signaculo se signantes (quod tã in inchoatione horarum beatæ Virginis, quàm diei, volumus obseruari) incipiant Matutinum diei, debito modo prosequentes, secundum modum Romanæ Curiæ, provt est in Breuiario ordinatum:

iuxta quem modum totum officiũ, per anni circulum, volumus recitari; tam in forma Breuiarij, quàm in festis & commemorationibus. ¶ In omnibus Conuentibus, in quibus fuerint saltem viginti Fratres, dicatur Matutinum media nocte semper. In alijs verò, in quibus est minor numerus, tamen est Conuentus habens Subpriorem, saltem in festis solemnioribus, in quibus cõmunicant Fratres, dicantur media nocte. Quòd si sufficiens Fratrum numerus est, & non sunt eleemosynis occupati, etiam Dñicis diebus. ¶ Priores Prouinciales, & locales peruigilem habeant diligẽtiam circa Diuinum officium, vt distinctè, punctuatim, atque morosè dicatur. Inquirant etiam diligenter, an omnes Fratres clerici dicant Diuinum officium: & si quos (quod Deus auertat) inuenerint non dicere, seuerissimè puniant. Priores etiam Prouinciales, in suis prouincijs solerter inquirãt; quinam Fratres clerici legere nesciérint, eosque cogant intra annum discere legere mediocriter; & posteà proficiant legendo emendatè. Quos verò deprehenderint, ob ignauiam, desidiamque noluisse discere, ac proficere: de cætero tonsuram non ferant clericalem, & voce perpetuò sint priuati.

Additio. *Cõstitutio*

Additio. ¶ Præter ea autẽ, quæ in Breuiario ordinata sunt, volumus; vt quotidie post Primam, finita Pretiosa, dicatur: Pro benefactoribus nostris vi-

uis

uis,& defunctis, dicamus, Retribuere dignare, &c. Et posteà psalmus, Ad te leuaui. cum versu, Saluos fac,&c. Domine exaudi,&c. Dñs vobiscum, Oremus. Prætēde,&c. Posteà psal. De profundis. In fine, Requiem æternam. cum versibus defunctorum,& oratione, Fidelium Deus.

¶ Finito verò Completorio, ijs diebus quibus officium de beata Virgine cōsueuit dici cum officio diei immediatè; dicatur vigilia de beata Virgine,& sextis ferijs decantetur; & omnibus diebus Dominicis, in quibus non celebratur festum duplex, dicatur vigilia pro defunctis, finitis Vesperis.

¶ Item post Laudes, post Missam maiorē, post Vesperas, dicatur vnum Responsorium pro defunctis, quotidie; exceptis festis,& duplicibus. Item quotidie post Cōpletorium, vel statim immediatè, vel qua hora Prior ordinauerit, dicatur flexis genibus Antiph. Natiuitas tua,&c. cum tribus orationibus: prima, Famulis tuis quæsumus Domine,&c. secunda, Deus qui corda fidelium, &c. tertia, Adesto supplicationibus nostris, vel, Deus corona Pontif.&c. Deinde Antipho. Crucem sanctam,&c. Post hanc quatuor orationes, Deus qui pro nobis filium tuum,&c. Prætende, Domine, &c. Omnipotens sempiterne Deus salus,&c. Ecclesiæ tuæ quæsumus Domine, &c. Posteà vacent contemplationi, omnes simul in

Choro, (nec vlli abesse sine magna caussa permittatur) quamdiu ab vno Fratrum dicãtur Psalmi pœnitentiales cum suis Litanijs & precibus, pro benefactoribus.

¶ In cęremonijs autẽ, tam in Choro, quàm in Ecclesia, seruentur per omnia, quæ in Ordinario nostro continentur. De quibus Sanctis, vel festis sit agendum, constabit ex Calendario, quod erit vnum atque idem pro vniuersis Conuentibus huius prouinciæ. ¶ Cantori, seu Vicario Chori, in Choro, vt quietè & ordinatè omnia peragantur, volumus in suo officio obediri, saluo semper Prælati mandato. ¶ Omnibus sextis ferijs cantetur Miserere, cum disciplina in communi: cui interesse tenebuntur omnes Fratres de Conuentu. Quo finito, dicatur Pater noster. Et ne nos, &c. ℣. Domine non secundum, &c. ℟. Neq; secundũ, &c. ℣. Mitte nobis Domine, &c. ℟. De Sion tuere nos. &c. ℣. Ora pro nobis sancta Dei, &c. Ora pro nobis beate pater Aug. &c. Domine exaudi orationẽ, &c. Dominus vobisc. &c. Oratio. Respice quæsumus Domine, &c. Famulorum tuorũ quæsumus Domine delictis ignosce, &c. Adesto supplicationibus nostris. vel Deus corona Pont. &c. Fidelium Deus, &c.

¶ In Monasterijs, in quibus est Magister nouitiorum, similiter fiat disciplina & secũda & quarta ferijs: cui intererit Magister nouitiorum, cum

Fratribus sibi subiectis, & Sacerdotes qui voluerint.

¶ Qui aliquid in Diuino officio errauerit, vel contra cantum, aut lectionem, aut contra cæremonias; statim inclinatus, manu terram contingens, & pectus feriens, culpam suam confiteatur. Si quis autem Frater ad Matutinum non adfuerit, sedebit in terra, in medio Refectorio, in pane tantùm & aqua comesturus. ¶ Qui autem absfuerit ab alia hora ex diurnis, ad prandium, vel cœnam genibus flexis coram Priore cõfitebitur suam culpam: & ab eo pro arbitrio corrigetur.

CAP. II.

De officio Fratrum Laicorum, & operibus eorum.

FRatres laici, præmisso Pater noster, & Aue Maria, ad omnes horas flexis genibus, vel inclinati ꝓfundè, & reuerenter, incipiant Matutinũ de beata Virgine, hoc modo: Domine labia, &c. Deus in adiuto. &c. Gloria patri. Sicut erat. &c. Dicant autem pro eis viginti quinque Pater noster: & in fine cuiuslibet, excepto vltimo, Aue Maria: in fine autem vltimi, Pater noster. Cùm dixerint, Sed libera nos à malo, *Additio.*

lo,

lo, subiungant: Per Dominum nostrum Iesum Christum,&c.& post dicãt: Dñe exaudi orationem meam,&c.Benedicamus Domino,&c.Hoc quoq; modo omnes horas tam de die, quàm de beata Virgine, in omnibus debent terminare. ¶ Deinde versi ad Altare, signẽt se signo crucis, & incipiant Matutinũ de die, sicut de beata Virgine inceperunt. ¶ Omni autem tempore dicãt pro Matutinis vigintiquinque Pater noster, & pro Laudibus decem,& in fine cuiuslibet, excepto vltimo, dicãt, Gloria patri,&c. ¶ Alias horas tam de die, quàm de beata Virgine, excepto Cõpletorio, sic incipient: Deus in adiutorium, &c. Gloria patri,&c.Completorium autem sic: Conuerte nos Deus,&c. Deus in adiutoriũ, &c. Pro qualibet autem hora de die, dicant septem Pater noster,& pro Vesperis decem, & in fine cuiuslibet, excepto vltimo, dicant Gloria patri, &c. Et pro qualibet hora de beata Virgine, dicãt septies Pater noster, addita in fine Aue Maria, excepto vltimo. ¶ Pro officio fidelium defunctorum, pro Matutinis vigintiquinque Pater noster, pro Vesperis septem, in fine Requiem eternã dona.&c. Domine exaudi,&c. Omne autem suum officiũ dicant sub silentio. ¶ Si qui autem legere sciuerint, permittatur eis aliqui libelli vulgari sermone, quibus eorum deuotio accendatur in amorẽ Dei. ¶ Qui autẽ legere nesciuerint, non addiscãt

Additio.

illud:

illud: Si quis autem hoc discere attentauerit, pro qualibet vice, per tres dies in pane & aqua ieiunet; & eidem pœne subiaceat, quicumq; eum docuerit. ¶ Nulli autem huiusmodi Fratrum, quãtumcunque legere sciuerit, concedatur corona: sed seruient iuxta traditum sibi à Domino talentum, in operibus manuum, secundum superioris sui mandatum. ¶ Extra Ordinem nulli liceat pro pretio aliquid operari, seu pretiũ ab aliquo recipere. ¶ De arte verò Medicinæ, seu Chirurgiæ, nullus Frater, quantumcunq; peritus, se intromittat vllo modo; nec Prouincialis ad hoc posſit dare licentiam. *Cõstitutio*

¶ Præcipimus prætereà, atque mandamus, vt Laici, vel conuersi, qui in seculo alicuius artis manuariæ, vel mechanicæ artifices erant; cùm ingresſi fuerint Monasterium, moneantur, se eodẽ ministerio Deo seruituros; atque à Prioribus in tali ministerio præcipuè occupẽtur. ¶ Qui autem nullam artem in seculo didiscerunt, eam in Religione discant, iusſu Prioris; cui exercendæ fuerint aptiores. *Additio.*

CAP. III.

Quando fiat Capitulum, de modo in eo, & in correctione Fratrum seruando.

Omni-

Cōstitutio consuetudine moderata.

OMnibus secūdis ac quartis ferijs, in quibus antiquitùs etiam agebatur de culpis; Fratres omnes in Refectorio, si Prior adfuerit, vel Supprior, flexis genibus culpas suas confiteantur, dicentes. ¶ Reuerende Pater, dico Deo & vobis meam culpam, de omnibus peccatis, & negligētijs meis; quibus offēdi Deū, proximum meum, & Ordinem meum; & si aliquem in aliquo offendi, reddo me culpabilem, & peto veniam. ¶ Et Prælatus iniūgat illis secūdis ferijs Psal. De profundis. pro benefactoribus defunctis. Quartis verò ferijs, Ad te leuaui, pro benefactoribus viuis. Qui statim dicantur.

¶ Hoc autem nunquam prętermittendum est, nisi in festis diebus, & in maioribus duplicibus.

¶ In omnibus verò sextis ferijs Capitulum sine dispensatione fiat à Prælato, nisi fortè occurrat aliquod ex Duplicibus maioribus festis, vt Natiuitas Domini, aut Epiphania, &c. ¶ Fietq; Capitulum hoc ordine: Primùm pulsato ter campanellæ signo, Fratres omnes, tam nouitij, quàm professi, & hospites cōueniant ad locum, in quo Capitulum consueuit celebrari: & inclinati ad crucem, vadant ad loca sua; vbi genibus flexis, expectent signum Prioris: Quo facto, surgāt, & sedeant in locis suis, secūdum suarum professionum antiquitatem (quod vbicunque Fratres si-

mul

mul conueniunt, seruari volumus) & sedentibus omnibus, Prior dicat: Adiutorium nostrum in nomine Domini. ℟. Qui fecit cælum & terram. Posteà Prior, Benedicite. ℟. Deus. Subiungit Prior, Dominus nos benedicat, & ab omni malo nos defendat, & ad vitam perducat æternam. & Fidelium animæ per misericordiam Dei requiescant in pace. ℟. Amen. Dum autem hæc dicit, omnes sint inclinati. ¶ Post legat de Regula, vel Constitutionibus quantum ipsi videbitur expedire: quod ita clarè explicet, vt omnes qui adsunt id facilè intelligant. Deinde inferat aliqua, ad amorem Dei, & proximi, atq; ad perfectionẽ vitæ Christianæ expectantia. ¶ Quo finito, dicat: Agamus de culpis, & omnes Fratres ad terram se prosternant, & dicat Prior: Quid dicitis? ℟. singuli: Meam culpam. Tunc dicat eis: Surgite. Et omnes accusantes se dicant; Reuerende pater, vt supra, hoc ordine: Primò nouitij, deinde hospites, tertiò conuersi, ac tandem Fratres conuẽtuales incipiẽdo à senioribus; ita vt primò Supprior se accuset, posteà per ordinem omnes qui sunt eiusdem Chori. Eodem modo procedatur in Choro Prioris, incipiẽdo ab antiquiori. Si verò Supprior non adest, vel ipse facit Capitulum, semper incipiatur ab antiquiori: nisi Priori ob aliquam caussam videbitur, vt omnes simul suam culpam dicãt. ¶ Nullus autem in Capitulo loquatur, nisi de

si de licentia Prioris, petita per hæc verba: Benedicite pater: nisi vel dicẽdo suam culpam, vel respõdendo ad interrogata Prioris. ¶ Modus autẽ loquendi hic erit. Frater qui confitetur suam culpam, dicat: Dico meã culpam quòd tale feci, vel dixi, vel omisi. ¶ In proclamationibus autẽ culparum, hunc modum obseruari volumus, vt petita licentia loquendi à Prelato, dicat proclamãs, stans: Frater. N. dicat suam culpam: & tunc surgẽte illo qui proclamatur, & inclinato, si non recordetur, subiungat proclamans. Recordetur Frater. N. quod tali die, tale quid dixerit, fecerit, vel omiserit: dirigat verò vterque sermonem ad Prælatum, nec loquantur mutuò: ne fortè, quod absit, concertationes in Capitulo oriãtur. ¶ Prior autem pro culpis de quibus confessi fuerint, vel conuicti; secundum statuta Ordinis pœnitentiã imponat. Quòd si alicuius culpa talis fuerit, vt disciplina sit digna, Prior solus det illam.

Cõstitutio ¶ Quòd si fortè quis superbia ductus, culpas suas confiteri, vel pro eis disciplinam Ordinis subire noluerit; Prior non statim ferat sententiam in illum, sed intra propriam cellam includi præcipiat (*Additio.* nisi forsitã talis sit casus, cuius correctio nullo modo, absque graui periculo differri possit: vt pũta, quòd si incorrectus tunc discederet, timeretur probabiliter, quòd scandalum generaret) *Cõstitutio* & tunc mittat ad illum de senioribus, qui blan-

dis sermonibus,& pijs adhortationibus,ad satisfactionem illum inducant. Si autem ipse, quod Deus auertat, expectatus per diē & noctem, & exortatus semel,secūdò, & tertiò,à duobus, vel tribus de senioribus, obstinati cordis extiterit, nolens satisfacere;ex tunc Prior secundum constitutionem Ordinis nostri procedat in ipsum: non obstāte, si ad superiorem appellauerit, cùm à correctione nulli liceat appellare. ¶ Si verò culpa huius delicti non fuerit in constitutionibus taxata, habito seniorum de loco consilio, Prior secundum suum discretum arbitrium,vt per regulam beati patris nostri Augustini præposito est indultum,procedat in illum.

¶ Cuicūque autem Fratri, cui pœnitentia debet imponi,dicatur quare talis pœnitentia imponatur, & ante pœnitentiam detur ei locus debitæ defensionis: cùm contra rationem sit, quòd aliquis sine audientia condemnetur. ¶ Cōtra facientes per suum superiorem grauiter puniātur: & sententia taliter data, & pœnitētia contra hāc formā imposita, nulla sit ipso facto. ¶ Per hoc tamen nolumus quòd in correctionibus nostris procedatur, sicut in foro contentioso, sed simpliciter,& de plano,secundum nostrarum constitutionum tenorem:inhibentes,ne quis in huiusmodi correctionibus,ad Iuristas recurrat. ¶ Si quis verò friuolè,à correctionibus, seu punitionibus Cōstitutio

huiusmodi appellauerit, carceri mancipetur; nec inde extrahatur, sine Prouincialis licentia. ¶ Itē, si de Fratris alicuius delicto graue scandalum oriatur, poterit admitti testimonium secularium personarum non suspectarum; priùs tamē ab eis præstito iuramento de veritate dicenda.

¶ Ex sola suspicione aliquis aliquem non accuset: Si quis verò accusator in probatione defecerit, pœnam sustinere cogatur, quę imponenda erat accusato, si cōuictus fuisset. ¶ Rursus, cùm turpitudinem suam nulli liceat allegare. c. si quis tanquam particeps criminis, dicat se scire aliquē aliquod crimen commisisse, is ad accusationem non admittatur; sed ipse tanquam reus culpæ, quam ore suo confessus est, publicè puniatur. ¶ Quòd si is qui obiecit crimen, vitæ laudabilis vsque tunc, & sanctæ conuersationis extiterit; & ille, cui crimen obijcitur, illud, vel simile aliàs commisit, & apud graues personas nostri Ordinis, inter quas conuersatus est, sit opinio eius læsa; licet contra eum non procedatur ad pœnam, quæ tali culpæ debetur; eò quòd non sit legitimus accusator, & sufficiens testimonium nō appareat: nihilominùs de prouincia, vel de loco, in quo ipsum dicitur cōmisisse, remoueatur; & in loco alio collocetur: sed si nō est auditus huiusmodi sermo de illo, ipse accusatus (cuiuscūq; meriti sit accusans) ob id grauari in aliquo non debe-

bit. In fine Capituli Prior dicat, Adiutoriũ,&c. ℟. Qui fecit,&c.& abſoluetur Capitulum.

CAP. IIII.
Quomodo nos habeamus quando tardè ad horas,ad Capitulũ,vel ad refectionẽ venimus.

QVifquis ad Matutinũ, vel ad alias horas tardè venerit, intrans Chorum,more ſolito,ante maius altare inclinet ſe profundè & reuerenter:& erectus, ſtet immobilis,donec ſignum faciat Prior; quo audito,iterum ante Altare inclinet ſe,vt prius, & ſic ad locũ ſuum vadat. Similiter faciat ad Capitulũ tardè veniẽs. Qui verò ad refectionem tardè venerit,in medio Refectorij inclinet ſe:& erectus, ſtet immobilis, donec Prælatus illi ſignum ſedendi faciat; & ſimiliter in collatione. *Cõſtitutio*

¶ Ad Horas autem illum tardè venire intelligimus,qui ad inchoationem horæ non adfuerit: idcirco ſtrictè inhibemus, vt pulſato ſigno vltimo ad Horas, nemo eorum, qui Diuino officio intereſſe tenentur,maneat extra Chorum cũ aliquo,ſine expreſſa licentia maioris;niſi forſan cũ venerabilibus perſonis:neque à Choro quiſquã recedat,abſq; ſpeciali licentia maioris; qui,abſen

te Prælato, erit ſemper antiquior.

Additio. ¶ Ad Capitulum tardè venire cenſetur, qui venerit dicto, Adiutorium. Ad refectionē, ſeu collationem tardè venire cenſetur, qui non adfuerit, antequàm Conuentus ſedeat. Ad refectionem, ſeu collationem tardè venienti nullus cedat; ſed

Additio. in loco altero ſedeat. Ad primam mēſam omnes non legitimè occupati concurrant: alij autem cū Lectore, & Procuratore & ſeruitoribus, ſecundę menſæ aſsiſtant. Huius ſecundæ menſæ Lector Frater profeſſus, vel nouitius hebdomadatim nominetur. Tertia mēſa pœnitùs denegetur. ¶ Qui tardè venire in vſum duxerit, diutiùs ſtare erectus eſt cogendus: vel alia pœna, ſicut cenſuerit Prioris diſcretio, puniendus.

CAP. V.

Quomodo audiamus, vel dicamus Miſſas.

Cōſtitutio MIſſam Conuentus omnes Fratres ſimul audiant, nec foris quiſquā remaneat, niſi fuerit infirmus, aut communi negotio occupatus, quod cōmodè dimitti nō poſsit,

Additio. vel de licētia Prioris ſpeciali. ¶ Et ſi ex loco viderint ſacratiſsimam hoſtiam in priuatis Miſſis eleuari, ſtatim nudis capitibus genua

fle-

flectent, & facta oratione surgant. ¶ Qui verò communibus negotijs occupati, Missæ Conuentus interesse non potuerint; & infirmi, quibus ex motione non surgit probabilis de recidiuatione timor, horas obseruent, in quibus priuatas Missas audire teneantur.

¶ Pro Fratribus verò decedentibus, tam nouitijs, quàm professis, & conuersis, Missæ dicantur hoc modo. Pro quocumque Fratre nostræ prouinciæ defuncto, in singulis Conuentibus cãtetur vigilia defunctorum & Missa; vltra hæc à quocũque Sacerdote totius Prouinciæ dicatur vna Missa. In Conuentu verò in quo Conuentualis erat, à singulis Sacerdotibus dicantur tres Missæ pro anima illius, & Officium Sepulturę solemniter celebretur, cum Inuitatorio, tribus Nocturnis, & Laudibus; prout est in Ordinario. ¶ A Fratribus verò non Sacerdotibus pro quolibet Fratre defuncto dicatur vnum Psalterium, cum Requiem ęternam in fine cuiuslibet Psalmi; Fratres Laici dicant quingẽtos Pater noster similiter, cum Requiem æternam in fine.

Cõstitutio moderata

¶ Pro decedente summo Pontifice, vel Priori Generali, Protectore Ordinis, vel Prouinciali; Officium defunctorũ cum Missa solẽni in quolibet Conuentu persoluatur. ¶ Prælatus, in cuius Conuentu Frater aliquis decedit, statim id Prouinciali notum faciat: qui, non expectato Capi-

tulo Prouinciali, statim præcipiat hæc suffragia fieri pro illo. ¶ Vt autem quæ interdum ex infirmitate, vel aliquorum negligentia omittuntur, possint ex plurimorum suffragijs restaurari; volumus, quòd in quolibet nostræ prouinciæ Conuentu, Anniuersarium Fratrum nostrorũ defunctorum annuatim in prima feria post octauas Visitationis beatæ Virginis celebretur. Patrum verò & matrum, propinquorum & benefactorum nostrorum in prima feria post festum sanctæ Agathæ, simili modo celebretur: & prædicti termini, vt non tradantur obliuioni, in Calendario cõscribantur.

CAP. VI.

Quomodo nos habeamus, cùm aliquod officiũ nobis iniungitur.

Cõstitutio ORdinamus, vt cùm Prior in Capitulo, aut alibi aliquam cõmemorationem pro benefactoribus, vel afflictis, aut consimilibus (vt fieri solet) vel cuiuspiam operis, verbo, vel signo quicquam alicui ex Fratribus iniunxerit, specialiter, seu omnibus in communi, deuotè statim omnes inclinent se, facturos quod sibi iniungitur, annuentes. *Si* verò iniunxerit alicui,

præesse

præeſſe alicuius officio, ex ijs quæ Prior in ſuo Conuentu prouidere ſolet, flectat genua ſtatim audito mandato, ſe facturum quod iniunctum fuerit, indicans; & dicat: Benedictus Deus in donis ſuis, & ſanctus in omnibus operibus ſuis, qui viuit & regnat in ſecula ſeculorum. Amen.

¶ Omnia verò officia domus & miniſteria cõmittere Fratribus, & inter eos illa diuidere, proprium eſt Prioris domus: excepto quòd Magiſtrum nouitiorum prouidebit Prouincialis, cum diffinitoribus in Capitulo Prouinciali: Suppriorem quoque, Sacriſtam & Procuratorem. *Additio.*

¶ Horum autem Officialium auctoritatem decernimus & volumus in ſolius Prioris conſiſtere voluntate: ita vt ſi ipſi Supprior, aut Procurator, aut Sacriſta limites auctoritatis à Priore illis commiſſæ exceſſerint: & moniti ſemel, ſecundo, & tertio ab eo in Capitulo coram Conuentu, vlteriùs id facere præſumpſerint; poſsit eos auctoritate ſua ab eorũ officijs remouere; data ratione Prouinciali, vt ipſe Prouincialis de conuenienti perſona in eodem officio prouideat.

¶ Si autem aliquod de huiuſmodi officijs, ſeu quidpiam aliud, quod non ſit Diuinę legi cõtrarium, alicui ſubditorum ſuorum Prior iniunxerit: id iuſſus ſine diſceptatione ſuſcipiat; etſi graue multùm, & ſuis humeris importabile videatur; quoniam obedientia propter Deum vires

Additio. adauget. Posteà verò imbecillitatẽ suam, & præcepti difficultatem, Priori cum omni humilitate insinuet. Et si quod optat, obtinere meruerit ab eo, agat gratias Deo, & humilior fiat. Si autem non meruerit obtinere quod optat, sciat sic animæ suæ expedire, & quantum in se est, faciat sicut velle nouit imperantem. * Non enim volumus mandata Priorum nostrorum cassari, neq; eorũ præceptis, etiã si valde, aut prorsus difficilia ipsi imperent, aliquem contraire.

¶ Si verò in obedientia, secundum sibi datam à Deo gratiã se exercuerit; & probabiliter viderit, se absque interioris, vel exterioris hominis periculo, & nimia difficultate, non posse muneri satisfacere, petat humiliter ab iniũcto munere absolui; & Prior eius, si ad eum spectat, & videat nõ frustratorias excusationes, sed legitimas caussas præcedere; diligenti consideratione & discretione præmissa, vel eum ab officio absoluat, vel de socio ei prouideat; prout magis viderit expedire. Ad quod si quacumque ex caussa, Prior ipse difficilis videtur, Conuentus (qui in sua prece frustrari non debet) apud eũ vt id faciat procurabit.

CAP. VII.

Quando, & vbi, & à quibus secretæ Confessiones audiantur.

Secre-

SEcretæ confessiones à prima vsq; ad Completorium fieri possunt. Sed à Completorio vsque ad Primam sequẽtis diei, apud nos nulla priuata confessio, nisi caussa infirmitatis fiat: excepto quòd illi qui ante Primam, vel immediatè post illam celebrare, aut communicare, seu ad aliqua loca exire debebũt, possunt post Matutinum in Choro Fratribus confiteri: lampade tamen, vel candela ibi ardente, & lucente: & nõ aliter, nec alibi. ¶ Omnes autem Fratres non Sacerdotes, & infirmi etiam Sacerdotes cõfiteantur saltem semel in hebdomada: qui contra fecerit, ieiunet in pane & aqua in medio Refectorij. ¶ Nouitij cõfiteantur ipsorum Magistro semper; nisi nouitius aliquando aliud peteret, quod deferat Priori; & de licentia Prioris confiteatur alteri. Fratres verò Professi non Sacerdotes cõfiteantur, vel Magistro nouitiorum, vel confessoribus à Priore assignatis; qui poterũt esse duo, vel tres. Sint autem semper ex grauioribus Patribus Conuentus, & de quibus opinio sit, quòd ea monita salutis confitentibus Fratribus dabunt; quibus & à peccatis declinent, & ad perfectionem accendantur.

Cõstitutio

Additio.

¶ Confessores verò Sacerdotum, ij tantùm erunt qui ad audiendas confessiones secularium examinati fuerint & approbati. Volentes autem

in grauioribus casibus cautiùs obuiare, districtè *Cōstitutio* præcipimus; ne quis Fratrum qui admiserit furtum notabile, fornicationem, peccatum indicibile; aut qui superioris sui literas vel falsauerit, vel aperuerit, siue quas ipse superior alteri mittit; siue quæ ipsi ab altero mittuntur, ab aliquo possit absolui, præterquàm à suo Priore. Hos enim casus ista constitutione reseruatos illi esse volumus.

¶ Sacerdos verò aliquem absq; Prioris sui licentia (cùm absolutio nulla sit) ab aliquo istorũ casuum non absoluat. Si autem contra factũ sit, tam absoluens, quàm confitens, si fuerit confessor, ex tunc à confessionibus audiendis suspẽdatur; donec per superiorem suum cum illo fuerit *Additio.* dispensatum. Si non fuerit Confessor, per mẽsem disciplina singulis hebdomadis plectatur. ¶ Præter hæc verò in virtute sancti Spiritus, & salutaris obedientiæ; præcipimus omnibus Confessoribus nostri Ordinis, ne quẽ Fratrẽ sine expressa Prioris licentia, ab aliquo prædictorum casuum absoluant.

Additio. ¶ Confessores secularium, atque Concionatores, ij tantùm instituantur, qui vita, moribus, & doctrina atque prudentia tanto muneri satisfaciant: & qui nulla sint infamia, aut sinistra opinione maculati. Ne verò temerè, & absque delectu, ad hoc munus admittantur indigni; statui-

mus,

mus, vt in quolibet Capitulo Prouinciali, p Prouincialem & diffinitores constituantur in qualibet visitatione examinatores, probiores, & doctiores, qui diligenter examinent vltra prædicta Confessores de casibus conscientiæ, Concionatores de Theologia, & vtrosque de prudẽtia, quę ad curãdos morbos animarũm requiritur. Quibus præcipiatur in scriptis in virtute sancti Spiritus & salutaris obedientiæ, vt in examinatione huiusmodi, deposito omni amore, vel odio, iuxta Deum & conscientias suas procedant: & Prouinciali secretò dicant, vel scribant, quid de examinatis sentiant. ¶ Nec Prouincialis possit cuiquam ad audiendas confessiones, siue ad concionandũ dare licentiam nisi examinato & approbato ab huiusmodi examinatoribus. Aliter data licentia sit ipso facto nulla: & Prouincialis eam dans intra mensem, sedens ad mensam Refectorij, in pane & aqua ieiunet quartis & sextis ferijs: eidéq; pœnæ subiaceat examinator, qui insufficientem approbauerit. Quòd si prædicti duo examinatores in admittendis, aut reijciendis Confessoribus, aut Prædicatoribus, inter se dissideant; tunc Prouincialis iudicio erit standum. ¶ Audiens verò confessiones, seu Concionatorem agens, sine huiusmodi approbatione & licentia in scriptis; per mensem carceri mancipetur, & sit inhabilis ad talia munera; donec per Capitulum Prouin-

ciale

ciale cum eo fuerit dispensatum. ¶ Neq; Sacerdos nouitius, neq; professus intra annum à die suæ Professionis, quantuncumque docti & sufficientes, nisi in articulo mortis, poterunt vllo modo, vel Fratrum, vel Laicorum confessiones audire.

Cōstitutio

Additio. ¶ Statuimus etiam, quòd si Concionator, vel Confessarius, postquam ad tantum, tamque sanctum munus vocati sunt, nota infamiæ peccati mortalis (quod Deus auertat) obscurati fuerint; siue erga seculares, siue solùm erga Fratres; ab executione tanti muneris suspēdātur: donec splēdor vitæ suæ tenebras prædictæ infamiæ procul depulerit: quod, quando erit, arbitrio Definitorij relinquitur.

Ex Bulla. ¶ Confessarij nominandi, præter ea quę dicta sunt, sint debitæ ætatis; quoad mulieres autem, prouectæ sint ætatis.

CAP. VIII.

De forma collocutionis cùm mulieribus, & de Confeßione earum.

Cōstitutio

IN Ecclesia, siue extrà Ecclesiam, nulli Fratrum liceat loqui cū muliere, nisi priùs licentiam obtinuerit à Priore; & nisi præsente & au-

diente

diente ſocio idoneo aſsignato à Priore. Cùm mu liere autẽ de qua ſit ſiniſtra aliqua opinio, nullibi permittatur Fratri cuiquam loqui: Familiaris verò, aut nimis frequens locutio cum nulla, niſi fortè tales eſſent perſonæ, tantæ auctoritatis, & tam bonæ famæ, quòd ex earum allocutione, potiùs Religioni honor, quàm dedecus acceſſerit. ¶ Neq; cuiquam Fratri, quantumcunq; ſeni & graui, permittatur; vt ſolus cum muliere in Eccleſia loquatur. Quinimo ipſe Prior cum muliere locuturus, ſocium grauem & religioſum ſecũ aſſumat; ne eius fama & opinio, quam integram & illæſam ſeruari magnopere oportet, vel in minimo lædatur. ¶ Si quis in priuata locutione ſolus cũ muliere fuerit repertus, ſine licentia Prioris, pro prima vice vna diſciplina puniatur, & ad terram ſedens in pane & aqua ieiunet ſine diſpẽſatione. Pro ſecunda, ad minus duplicetur pœna. Quòd ſi de tali locutione ſcandalum oriatur; grauiùs, iuxta Prioris diſcretionem, punietur, & à Conuentu remoueatur per duo triẽnia. Quòd ſi mulier cũ qua locuturus ſit, mater, vel ſoror carnalis fuerit; cum ea, ſocio vidente & nõ audiente, colloquatur. *Additio.*

¶ Cùm autem ad audiẽdas confeſsiones quarũcumque mulierum Sacerdos egreditur, ſemper ei prouideatur de Fratre ſocio, quem opinio bona commendet; & vbique & ſemper ſic ſe habeant, *Cõſtitutio et additio*

beant, vt Frater socius patenter videat eũ. Quòd si contra fecerit, Sacerdos ipse à confessionibus audiendis suspendatur per annum, & tribus diebus in pane & aqua ieiunet in terra sedens. Et si Sacerdos fuerit socius simili negotio occupatus, sic ambo stabunt, vt clarè possint se mutuò videre. Quòd si forsan Sacerdos mulieris ægrotantis confessionem audiat, quæ in loco tam arcto iaceat, quòd socius in eo, vt ipsum videat, commodè manere non possit; tunc socius ipse, quantũ poterit, iuxta ostium thalami manebit, dummodo verba non possit intelligere confitentis.

Additio. Idemque per omnia seruetur de Sacerdote, qui auditurus confessiones Monialium infirmantiũ, in Monasterium ingreditur Monialium, siue nostri Ordinis, siue alterius.

¶ Sacerdos qui quouis prętextu, vel occasione ingressus fuerit Monasterium Monialium solus, per mensem subiaceat pœnæ grauioris culpæ: atque eidem pœnæ subiaceat Prælatus quicumque, si talem fortè licentiam alicui dederit.

¶ Cõfessionaria fiant in omnibus nostris Ecclesijs ad audiendas mulierum confessiones, debitis seris, & ea qua videmus ratione munita. Atque in ipsis nemini loqui liceat, nisi gratia cõfitendi; aut ea quæ confessioni confinia sunt, audiendi. Qui contra fecerit, per annum suspendatur à confessionibus audiendis; nam indignũ

est

eſt, vt Fratres ad colloquendum Confeſsionarijs abutantur: ſed ſolùm ad id, vnde nomen accipiunt.

¶ Moniales noſtri Ordinis clauſæ ſub cuſtodia circunſpecta teneantur; nec liceat alicui in Monialium clauſtrum intrare, niſi tempore ægrotationis, cùm Medicus ingreditur ad medendum, & Confeſſor ad confitendum: vel tempore Viſitationis, cùm Prælatus ingreditur ad viſitandam & recognoſcendam domum. Qui cum ſocijs grauibus, de quibus nulla ſuſpicio reſultet, ingredientur. ¶ Nec liceat in quocunque caſu intus, vel iuxta collocutoria cum eis comedere, vel bibere. Contra autem facientes & conuicti, per menſem ſubiaceant pœnæ grauioris culpæ: quam quilibet Prouincialis obſeruari faciat. Alioquin per Viſitatores generales, vel per Vicariũ ipſius grauiter puniatur. Cōſtitutiō

¶ Sine licentia Prouincialis non poſsint Moniales aliquam ad habitum recipere, nec dotem in alios vſus expendere, niſi in redditus & prouentus domus augendos; niſi aliqua immineat vrgẽs neceſsitas. ¶ Feneſtrę autẽ illæ ferreæ, quę appellantur collocutoria, habeant virgulas illas ferreas denſas, & bene acuminatas; quæ vultus & manus arceant alloquẽtium. Neminiq; liceat, quantumuis grauis perſona fuerit, loqui in Eccleſia in collocutorio illo, quod tantùm aperiri

ſolet

ſolet ad ſacram Euchariſtiam ſuſcipiendam. Cõfeſſores autem, ſeu Vicarij Monialium, ſi fieri poteſt, ſemper ſenes ſint graues & prudentes, qui iã ferè attingant ſexageſimum annum; eiſq; ſocij adiungentur eiuſdem, vel paulò minoris ætatis.

¶ Præcipimus etiam ſtrictè in virtute ſalutaris obedientiæ, omnibus Fratribus noſtri Ordinis, vt ſine expreſſa licentia Prioris loci non audeant adire Monaſteria Monialium, nec noſtri, nec alterius Ordinis: & Priori mandamus, eam dare caueat, niſi cauſſa rationabili & iuſta id petente. ¶ Item præcipimus, ne poſthac in noſtra Prouincia, illæ quæ vocantur patria lingua *Beatas*, recipiantur; niſi quæ annum egerint quinquageſimum, & quæ habuerint ſufficienter vnde ſuſtentari poſsint: & talis de licentia Prouincialis recipiatur.

CAP. IX.

Quoties & quãdo Fratres communicare debeant quolibet anno.

Cõſtitutio et additio

FRatres noſtri, tam nouitij, quàm profeſsi, & conuerſi, ſequentibus diebus in anno cõmunicare debent (niſi de licentia, vel mandato Prioris,

Prioris, propter aliquam caussam remanere cõtingat. ¶ In omnibus Dominicis Aduentus, & Quadragesimæ. ¶ In festo Conceptionis beatæ Virginis. ¶ In Natiuitate, ¶ Circuncisione, ¶ & Epiphania Domini. ¶ In Purificatione Virginis. ¶ Feria quarta Cinerum. ¶ In Annuntiatione Virginis. ¶ Feria quinta in Cœna Domini. ¶ Dominica in Paschate. ¶ In Ascẽsione Domini. ¶ In festo sanctæ Monicæ. ¶ In Pentecoste. ¶ In Dominica Trinitatis. ¶ In festo Corporis Christi. ¶ In Natiuitate sancti Ioannis Baptistæ. ¶ In festo Apostolorum Petri & Pauli. ¶ In Visitatione Virginis. ¶ In festo sancti Iacobi. ¶ In Transfiguratione Domini. ¶ In Assumptione Virginis. ¶ In festo sancti patris nostri Augustini. ¶ In Natiuitate Virginis. ¶ In festo sancti Michaelis. ¶ In festo omniũ sanctorum. Vltra hos dies nullus Fratrum non Sacerdotum communicet, nisi de licentia Prioris. ¶ Si quis autem in die Natiuitatis, Cœnæ, aut Resurrectionis Domini, siue in die sancto Pentecostes, aut in die Corporis Christi; à Communione abstinere petierit, sine caussa rationabili & manifesta, non concedatur eidem. Quam caussam (si ea secretè recitanda nõ fuerit) coram Priore, & duobus de senioribus dicere cogatur.

¶ Sacerdotes autem cæcitate, vel aliqua alia infirmitate præpediti, tamẽ per domum aliquo-

ties ambulantes, diebus prædictis communicet.

CAP. X.
Quomodo & quando silentium obseruetur.

Cõstitutio IN Choro, in Refectorio, in Dormitorio, in primo quoq; Claustro vbi fuerint duo, in cameris secretus summum silentium vbique in Ordine nostro seruetur. In Ecclesia verò, seu Oratorio, possumus secularium confessiones audire, sed nihil manibus operari licebit; nisi quod ad decorem illius attinet. ¶ In Dormitorio quoq; lectioni & orationi vacare poterunt Fratres; scribere etiam, aut quippiam aliud operari, si id absque vllo sonitu & inquietudine alicuius Fratris fieri possit. In quo per totam noctem lampas ardeat, & luceat clarè. Quòd si Prior neglexerit facere, arguatur & puniatur; secundum quod discretioni sui maioris videbitur expedire. ¶ In primo etiam claustro, officiũ prouidere & cantare, ac manibus operari licebit; ita tamen vt propter hoc, in eo silentium non frangatur. ¶ Prior in Refectorio ad mensam, & in Choro de ijs quæ expediunt silenter loqui valeat, & exortandi, & reprehendendi caussa, finita refectione, vel officio.

Magi-

❡ Magiſter etiam Nouitiorum cum Fratribus ſibi ſubditis poterit in eiſdem locis, de ijs ſilenter loqui, quæ tunc neceſſaria videbuntur. Et cantores in Choro ĩ diſtributione officij, qui ſic deprimant vocem, quaſi ſi loquerẽtur in aure. ❡ In locis autem ſilentio deputatis Fratres qui ſigna neſciunt ſilenter cùm neceſſe fuerit, & breuiter, poterunt loqui tantùm quæ neceſsitas ſuadebit. *Additio.*

❡ A pulſatione campanæ poſt cœnam, vel collationem, vſque ad Primam, ſilentium vbiq; ſeruetur per totũ annum. ❡ Similiter à Reſurrectione Domini vſque ad feſtum Exaltationis ſanctæ Crucis, in diebus in quibus non ieiunatur, facto ſigno poſt prandium vſque ad Nonam ſilẽtium obſeruetur. ❡ Tempore autẽ ſilentij nemo extra cellam maneat, etiã orandi cauſſa: ſed in ſuis cellis vel dormiant, vel aliquid agant, dummodo ſilentium ſemper ſummum ſeruetur. ❡ Priori in ſilẽtio ad aliquam horam, cauſſa rationabili ſubſiſtente, cum aliquibus Fratribus, vel cum toto Conuentu diſpenſare licebit. *Additio.* Qui inter alia hoc maximè curet, vt otioſos, qui ante meridiem, vel poſt per domum vagantur, inanes miſcentes ſermones, & tempore abutentes, cohibeat; iubeatq; tempus rebus vtilibus impendant; iuxta illud Sapientis conſultum, Fili conſerua tempus, & recede à malo. *Additio.*

CAP. XI.

Pro quibus casibus mulieribus Claustrũ ingredi, vel domum permittatur.

Cõstitutio moderata

IN solemnibus Processionibus, mulieribus ingressus in Claustrum permittatur: ita tamen, vt ad alia domus habitacula nõ liceat illis ingredi. ¶ Permittetur etiam, si caussa alicuius Confraternitatis, vel Societatis Missa celebratur. In aliqua Capella, vel Altari Claustri, præsentibus Cõfratribus, & ex eo quòd si negetur ingressus mulieribus, talis deuotio tollitur, vel minuitur.

¶ Extra hos casus, nunquam in domos nostras permittatur ingressus fœminis: nisi quæ hoc petit, persona esset illustris; vel multis, dũ ingreditur, associata; & nisi esset Cõuentus benefactrix: & ex eo quòd si non permitteretur illi ingressus, Conuentus damnum incurreret.

Additio. ¶ In quocũque autem istorum casuũ Prior mittat duos, vel tres ex grauioribus Conuentus, qui simul iuncti cum illis vadant. Nec ab eis discedant, donec è domo exierint. ¶ Ecclesia quoque exterior, non semper in die sit aperta, sed maneat clausa, maximè dum Conuentus est in Refectorio, aut dormit; nisi tunc fortè Missæ in Ec-

eclesia celebrentur: quia tūc mulieribus in Ecclesia, vel ad ostium Conuentus loqui, etiam in foro pœnitentiali, nulli Fratri Priori, vel subdito licebit: quemadmodum nec dum Canonicæ horę dicūtur, cum mulieribus alicui Fratri loqui permittitur: excepto Portario, qui horis prædictis, pulsantibus ad portam respondebit: sed non satisfaciat eis, si alicui Fratri loqui voluerint, donec Fratres post refectionem gratias egerint, vel à somno surrexerint, vel horā compleuerint, in cómunique stabunt.

¶ Et ideò caueat Portarius, ne Fratres hora debita dormientes, vel existentes in Choro, aut ad lectionem, solicitet ad exeundum, nisi caussa fuerit prorsus magna, vrgensque necessitas immineat: & tunc habita priùs licentia Prioris. *Additio.*

CAP. XII.
De cura habenda circa infirmos.

Circa Fratres infirmos, tam nouitios, quàm professos, seu conuersos nostros, caueat ne sit negligens Prior: quia cura de eis ante omnia & super omnia est habēda, cùm soli Deo seruiatur in illis. ¶ Si quis autem talem habeat infirmitatem, *Cōstitutio*

quę nec multùm debilitet, nec sibi turbet appetitum edendi: vt est inflatura, vel incisio cutis in quacumque corporis parte, vel huiusmodi aliud ex leui caussa prouemens: talis nec consueta frãgat ieiunia, nec cibos Refectorij mutet, nisi aliter à Medico consulatur. ¶ Qui verò grauiter infirmatur, vtpote febribus, Tertianis, vel Quartanis, duplicibus, vel simplicibus, cõtinuis, vel quotidianis, seu alio graui languore temporario, vel perpetuo: talium curam vni ex Fratribus, cuius cor posideat timor Dei, Prior iniungat: qui eis cum omni charitate necessaria die, noctuque mi nistret. Atque si propter multitudinem infirman tium, & infirmitatum diuersitatem, solus nõ sufficit, detur ei coadiutor. ¶ Prior sæpe visitet infirmos, de confessione moneat, hortetur ad patiẽ tiam; inquirat à quolibet infirmo, si in aliquo tenetur alicui, aut si alius sibi teneatur; si scit alicuius culpam, per quam posit Ordini scandalũ generari, vel domui, vel Fratri; & quæ eo decedente, nisi per eum, qui ipsius culpæ reus est, inuestigari non posit. Aut si habet alicubi repositum aliquid, quod ipse Prior ignoret. Solicitè etiã intendat, ne aliquid desit Infirmario quod necesitati expediat infirmorum. Infirmos etiam inquietos, qui molesti sint Infirmario, corripiat, & quos aliquid animaduersione dignum sciuerit fecisse, castiget; aut statim, aut postquam conua-

luerit

luerit in Capitulo. ❡ Liceat autẽ infirmis, omne velle obsequium, quod eorum necessitas exigit, & facultas nostra patitur impertiri. Debent autẽ ipsi temperare sibi, ne seruientes propter Deum, sua superfluitate cõtristent. Nec cibos exquirãt, aut si exquisierint, sine consilio Medicorum non præbeantur eis, qui recidiuationem magis consueuerunt inducere, quàm sanitatem.

❡ Postquam conualuerint, redeant ad Conuẽtum: morosos autem & sibi nimiùm indulgẽtes Prior coërceat atque cogat, vt ad consuetudinem pristinam reuertantur. Conualuisse autẽ credendus est ille, qui colori suo, aut pristinę corpulentiæ est restitutus; qui paratus est discursibus, placidosque labores non fugit, cibosque sumit in solita quantitate. Idcirco quisquis post huius conualescentiæ signa, redire si pigritauerit, vt ad Conuentum redeat, compellatur: & substrahantur ei cibaria infirmorum. ❡ Infirmarius in seruitio infirmorum, caueat ne multiloquio eis noceat; quæq; in infirmitorio necessaria sunt, habeat: vt ipse tam in moribus corrigendis, quàm in procurandis necessarijs ægrotantium, semper vigilantior inueniatur. ❡ Cùm ex frequentatione balneorum, multa proueniant pericula animarũ; districtè præcipimus, in virtute sancti Spiritus, ne quis vadat ad balnea, vel stufas, sine magna & euidenti necessitate de consilio Medico-

rum, & expressa licentia Prioris in scriptis. Qui contra fecerit, pro qualibet vice subiaceat pœnæ culpę grauioris duobus mẽsibus, & voce careat, vsquequo talis pœna sine diminutione per eum fuerit adimpleta.

CAP. XIII.
De Fratribus decedentibus, & eorum rebus.

Cõstitutio CVm aliquis Frater infirmatur, volumus omnino vt statim purè & debitè confiteatur, & tradatur ei sacratissimum corpus Christi. Quòd si adeò morbo opprimatur, vt de eius salute desperandum sit, quamdiu sani & integri sensus est, secũdum morem sanctæ Ecclesiæ Romanæ & nostri Ordinis vngatur: & circa eum omnis custodia & diligentia adhibeatur. ¶ Ipse quoque Prior & Fratres dulciter verbo & obsequio eum demulceant, & confortent, atque ab omnibus orationis quotidianæ suffragio adiuuetur. Memineritq; vnusquisque suæ cõditionis; quoniam mors porta est per quam trãsit omnis caro. Et die ac nocte, denique semper, donec anima eius egressa sit de corpore, custos aliquis sibi assistat. ¶ In hora egressionis animæ eius à corpore, ad signum Infirmarij, vel Sacristæ

omnes

omnes Fratres conueniant, & officium super eũ debito modo persoluant. Mortuus verò cuculla indutus, & caligis calciatus, & corrigia cinctus, ponatur in feretro: ac tandem ritè peractis quæ debẽtur, secũdũ Ordinis cõsuetudinẽ sepeliatur.

¶ Omnia autem quæ in vsu habebant, sint illius Conuentus, vbi erat Conuentualis; præter libros qui erant eorum Conuentuum in quibus acquisiti sunt: vt constabit ex vnoquoque libro in quo erit scriptum ad quod Monasterium pertineat. ¶ Si autem hospes existens alicubi suum diem obierit, sepelietur tanquam Conuentualis, & vestes quas secum detulit, erũt Monasterij, in quo decessit è viuis. Reliqua suppellex, si quam habet, in vsu erit Monasterij, in quo erat Conuentualis. ¶ Omnes autem libri Fratrum decedẽtium in Bibliotheca collocabuntur, nisi fortè magis expedire iudicauerit Prior vt vendantur, & ex pretio alij vtiliores emantur, in Bibliotheca etiam collocandi. ¶ Præcipimus autem in virtute sanctæ obediẽtiæ Prioribus, aut alijs quibuscũq; nostrorum Monasteriorũ Prælatis, ne huiusmodi libros, vel illorum pretium in alios vsus cõuertant. Liceat autem Fratribus, de licentia suorum superiorum, librum donare, vel vendere. *Additio.*

¶ Habentes libros, in folio tituli ponãt, ad quẽ Conuentum pertinet: quòd si non fecerit, talis liber Bibliothecæ Conuentus applicetur.

CAP. XIIII.

De modo receptionis Nouitiorum.

Cōstitutio moderata

SI quis in Ordine nostro recipi petierit, nō statim annuatur ei, quicunque sit ille. Sed probetur spiritus eius, si ex Deo est. Quòd si perseuerauerit in ꝓposito, & fuerit persona idonea, post oblatam spem à Priore, proponatur Fratribus Sacerdotibus in Capitulo, & de eorum, vel maioris partis assensu recipiatur. ¶ Hora igitur qua Prior prouidebit, in Choro, vel Capitulo Fratribus congregatis in vnum, à Magistro nouitiorum de modo misericordiæ petendæ diligenter instructus, ducatur in Chorum, vel Capitulum: & coram Priore flexis genibus interrogatus ab illo: Quid petis? Respondebit: Misericordiam Dei & vestrā. Deinde Prior ab eo diligenter inquirat, an sit coniugatus, aut seruus, aut alij Ordini obligatus, aut aliquo debitorum pondere pressus, aut si habet aliquā infirmitatem cōtagiosam, vel occultam. Qui si responderit, aliquo illorum casuum se teneri, repellatur tanquam subiectus iuri alieno, vel tāquam ad ferendum pondus Religionis ineptus. Sed si ab ijs omnibus liber fuerit, Prior exponat ei asperitatem Ordinis; scilicet abdicationē pro-

priæ voluntatis, vilitatem ciborum, paupertatẽ, asperitatem vestium, labores diurnos, vigilias nocturnas, macerationem carnis, opprobrium paupertatis, ruborem mendicitatis, assuetudinẽ ieiunij, tædium Claustri, & ijs similia: & de ijs omnibus voluntatem eius exquirat. Si responderit, cũ Dei adiutorio, se posse cuncta seruare, in quantũ humana fragilitas poterit: dicat post cætera ipse Prior: ¶ Dominus qui incepit in te bonũ opus, ipse perficiat. Et Conuentus surgat, & respõdeat Amen. Tunc tonsis criminibus, vestibus secularibus exuatur, & induatur vestibus Religionis; & ductus à Magistro nouitiorũ ad mediũ Chori vadat; vbi coram Altari maiori se ad terram prosternat in modum crucis. Et Cantores in medio item Chori incipiant; Veni creator spiritus, &c. & Chorus prosequatur vsque in finem. Hymno finito dicant Cantores hos versus: Emitte spiritũ tuum, & creabitur. ℟. Et renouabis faciem terræ. ℣. Ora pro eo sancta Dei genitrix. ℟. Vt dignus, &c. Ora pro eo beate pater Augustine. ℟. Vt dignus, &c. Tunc Prior ad mediũ Chori procedens, dicat: Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor, &c. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu, &c. Oremus. Deus qui corda fideliũ sancti spiritus illustratione docuisti; da huic famulo tuo, &c. Concede hunc famulum tuum, &c. Deus corona Pontificum & lucerna Docto-

rum, qui beatum Augustinũ Ecclesiæ tuæ prouidisti Pontificem & Doctorem: te supplices exoramus, vt hunc famulum tuum, eius semper & documentis erudias, & exemplis informes. Per Christum, &c. ¶ Et iterum sedeat Prior, & Fratres omnes in locis suis. Et Nouitius genibus flexis coram Priore, aderit sicut priùs. Prior verò faciat collationem de perfectione Christiana: qua finita, iubeat surgere Nouitiũ, & amplecti omnes Fratres, Sacerdotũ verò manus deosculari: quod faciet incipiendo ab ipso Priore, & prosequendo per illius Chorum: deinde per alterum Chorum incipiendo à Subpriore: atque tandem flexis iterum genibus coram Priore, asignetur ei locus, & tradatur Magistro nouitiorum, & pręcipiatur illi, vt ei in omnibus obediat, sicut patri: & ab ipso omnia necessaria postulet. Et concludat. dicens: Adiutorium nostrum, &c. ¶ Vestes verò, & quæcũque secũ attulit, seruentur integræ, quovsque sit Professus; nisi fortè ipse Nouitius đ bonis suis petat sibi vestes, vel aliquid aliud conueniens emi in modica quantitate. Id enim licitè fieri potest.

CAP. XV.

De tempore & qualitate eorum, qui ad Ordinem recipiuntur.

Nul-

NVllus ad Ordinē noſtrum recipiatur minor quindecim annis; nec ante decimum ſextum annū expletum, vlla promiſsione ligetur. Cōſtitutio
¶ Nullus item recipiatur, qui ſit de aliquo vitio notabili infamatus: neque qui ſit parentibus, auis, vel proauis recenter ad fidem conuerſis, vel per ſanctum Inquiſitionis officiū punitis, natus. Qui contra hanc formā receptus fuerit, ſtatim ab Ordine expellatur, ſitq; ad profitēdum inhabilis: vnde etiam ſi profeſſus fuerit, ab Ordine expelletur: cùm eius profeſsio fuerit, ipſo facto nulla. ¶ Et Prior, vel quicumq; Prælatus, qui vel aliquem ſcienter contra prædictā formam receperit, vel non fecerit ſufficiens examē, ab officio deponatur; & per triennium maneat inhabilis ad omne officium cum cura animarū. Additio.

¶ Pro Clerico autem nullus recipiatur, niſi legere ad minus, vel cantare ſciuerit competēter; & docilis atque aptus videatur ad diſcendum. Poterit autem aliquis de nobili genere, etſi minùs nouerit, de gratia ſpeciali, modò ſigna docilitatis oſtendat.

¶ Tempore Nouitiatus nulli omnino Ordines conferantur, neq; Nouitius vllus extra Monaſterium mittatur; nec à Nouitiatu exire poſſit, niſi de licentia ſui Magiſtri, & cum eo ſocio, quem tradiderit ei Magiſter. Eius veſtes in hoc Additio.

differat à vestibus Professorum, quòd ante Professionem cuculla non benedicetur ipsius. A die ingressionis suę vsque ad annum & diem in probatione manebit; vt & ipse asperitatem, qualitatemq; vitæ nostræ experiatur, & Conuentus pariter agnoscat mores, & conditionem ipsius.

Cōstitutio ¶ Cùm lepra simoniacæ prauitatis infectus, sit, quasi membrum putridum à corpore sanctæ matris Ecclesiæ alienum: omnibus & singulis Prioribus, & Fratribus nostræ Religionis, strictè præcipimus & mandamus; vt nullus ex eis Fratrem aliquem ad Ordinem recipiat, vel recipi faciat, aut permittat aliquid accipiendo, aut petendo; pacto aliquo interueniente tacito, vel expresso. ¶ Quòd si quis ita immemor suæ salutis fuerit, vt contra hoc præsens præceptum aliquē receperit, vel recipi fecerit, aut permittere attentauerit, si Prior alicuius Prouinciæ, aut loci est, eo ipso sit ab officio Prioratus absolutus, & irregularis effectus; à qua irregularitate dispēsationem non nisi à sede Apostolica potuerit obtinere. Et in nostro Ordine ad aliquod officium curam habens animarum nullatenus assumatur (etiam si à Sede Apostolica dispensationem meruerit impetrare) nisi cum illo per duo Capitula Prouincialia fuerit dispensatum. ¶ Per quinquennium voce careat, & pœnæ grauioris culpæ per tres menses teneatur subiacere. Et eidem pœnæ subiaceat

qui-

quicumque Frater, qui ſimoniam in eodem caſu vel alio commiſerit. Et ille qui ſic fuerit receptus, etiam ſi ſit Profeſſus, de Ordine licentietur; pecunia, vel rebus ſic acceptis eidem integraliter reſtitutis.

¶ De Ordinibus ſancti Benedicti, Prædicatorum & Minorum, nullus etiam Licentiatus recipiatur, quantumcunque fuerit importunus. Alterius verò Profeſsionis, quantumcunq; ſit noſtro Ordine laxior, nullus recipiatur, niſi Licentiatus; & de quo conſtet, quòd in ſuo Ordine nõ fuerit inquietus, ſed honeſtè & cum bono exemplo vixerit. Si quis autem huiuſmodi receptus fuerit; ſicut liber à ſeculo fugiens, in probatione per annum & diem manebit. Et à die receptionis ſuæ vſque ad quinquennium, ad Prioratũ, Subprioratum, ſeu officium cum cura animarum (etiam ſi doctus valde, & grandæuus exiſtat) nullatenus aſſumetur.

¶ Prætereà, ſi Nouitius quicumque ſit, dum in probatione fuerit, modum ſibi, iuxta Ordinis perſcripta ſeruandum, non ſeruauerit: aut inhoneſtè ſe habuerit, aut præſumpſerit cum alijs malitiosè contendere; ſeu ſuperbia tumens aliquid aliud tentauerit, per quod poſsit in domo turbationis materia ſuſcitari; differri illius eiectio non debebit, ſed ſtatim ab Ordine expellatur.

Et Nouitius qui pro ſua culpa expellitur,

vlteriùs

vlteriùs neq; in eadem domo, neq; in alia nõ re-
Additio. cipiatur. ¶ Vt autem mores nouitij clariùs poſſint explorari & cognoſci, an noſtro ſtatui ſit aptus; volumus vt ter in anno à quarto in quartũ menſem proponatur in Capitulo; & premiſſa informatione Magiſtri Nouitiorum, quid de illo ſentiant, à Sacerdotibus exquiratur: & ſi maior, & ſenior pars eum cenſerit expellendum; continuò ab Ordine eijciatur. ¶ Si verò aliquis Nouitius intra tẽpus probationis aſpexerit retrò, poſt modum, ſi trãſacta die eadem redire voluerit, eo pacto recipiatur, vt rurſus per annum & diem debeat in probatione manere: niſi eius vita & cõuerſatio talis fuerit, quòd videatur diſcretioni Prouincialis cum illo miſericorditer diſpenſare.

CAP. XVI.

Qualis debet eſſe Magiſter Nouitiorum.

Cõſtitutio et additio

PRior Prouincialis & Definitores præponant Fratribus omnibus non Sacerdotibus, tam Nouitijs quàm Profeſsis, in Magiſtrũ Fratrem Sacerdotẽ mediocriter doctum & honeſtũ, virum approbatum, & noſtri Ordinis præcipuè zelatorẽ; qui eos ante omnia doceat purè & frequenter confi-

teri,

teri, castè ac sine proprio viuere; instruat eos de Regula & Constitutionibus, de Officio, de cantu, de moribus & signis, & alijs obseruantijs Ordinis: & necessaria omnia eis præcipuè Nouitijs apud Priorem procuret, surgere ad vigilias faciat & si fuerint somnolenti, vel in Choro, aut in Ecclesia, aut in Refectorio, seu vbicunque fuerint, negligenter se, aut indecēter habuerint, eos quãtùm posit, verbis & signis obsecrando, increpando, puniendo studeat emendare: quia eorũ cura specialiter est ei commissa.

¶ Capitulum semel saltē in hebdomada faciat, tam Nouitijs quàm Professis: vbi de apertis culpis & negligentijs ipsi se accusent; & ille eos iuxta meritũ culpæ corripiat, & puniat. Doceat pręterea eos, quomodo inclinationes, genuflexiones, atque prostrationes horis & locis debitis faciant; quomodo inclinent, & discooperiãt caput vnicuique fratri, cùm eum obuiam habuerint: Quomodo inclinent danti sibi aliquid, vel recipienti; maledicenti, vel benedicēti; quomodo designatum sibi locum teneãt: Quomodo & quid orent, & quàm silenter, ne rugitum alijs faciant: quàm attentè & humiliter, & quanta fiducia diuinæ largitatis, ne male petentes non accipiant: quanta custodia cor suum & linguam seruent: quanta diligentia libros & vestes & alias res domus custodiant: quale exemplum alijs pręsertim

 humili-

humilitatis,& obediẽtiæ,& deuotionis,prębeãt: Vt cũ nemine contendant, ſed præ omnibus & præcipuè Magiſtro ſuo obediant (ſaluo vbique mandato Prioris,cui neminem præferre debent) Vt de occultis cum nemine, niſi cum Magiſtro ſuo,aut Priore,vel de illorum licentia,ſecundum quod dictum eſt cap.ſeptimo,debeant confiteri.

¶ Vt Nouitij cum nullo Profeſſo, neque Sacerdote, neque non Sacerdote: Profeſsi verò cũ nullo Sacerdote loquantur, niſi de licẽtia ſui magiſtri,vel Prioris: Vt in Regula, vel Conſtitutionibus,plus,aut minùs quàm expediat,diſcere nõ præſumant.

Vt cùm bibunt ſedeant, & cum duabus manibus teneant vas quo bibunt.

Vt neminem(quiſquis ille ſit)penitùs iudicent; ſed quæ aliquando viderint, licet mala videãtur, bona ſuſpicentur;vel bona intentione facta.

Vt non ambulent extento collo,ſed fixis in terra oculis.

Vt cùm eis aliquid datur, vt veſtes, ſotulares, cultelli,& ſimilia, ſeu aliquod officium iniungitur,genibus flexis dicãt Priori:Benedictus Deus in donis ſuis,&c.vel ſaltem Magiſtro ipſi.

¶ Vt cùm proceſsionaliter vadunt,ſocium collateralem non deſerant:vt non loquantur de abſente niſi bona: & alias iuſtitiæ regulas doceat eos.

Do-

¶ Doceat etiam eos Catechismum, & quod semel in hebdomada singuli dicant septē Psalmos pœnitentiales cum suis Litanijs, & officium defunctorum semel in hebdomada, pro benefactoribus nostris viuis & defunctis. ¶ Item illis diebus quibus officium beatæ Virginis non dicitur cum officio diei, finito officio diei dicat illud Magister Nouitiorum, cum omnibus Fratribus sibi subditis. Item in Quadragesima dicat cum Fratribus sibi subditis Psalmos pœnitentiales quotidie cum suis Litanijs ad stationes. ¶ Item post prandiū, vel cœnam simul esse faciat omnes Nouitios in vno loco, Professos in alio; atque cum eis sit semper vel ipse, vel alius Sacerdos, quem Prior voluerit. *Additio.*

¶ Statuimus insuper, quòd in Capitulo Prouinciali assignentur Monasteria in quibus Nouitij commodè recipi, educariq; possint: & quòd in huiusmodi Monasterijs sit Nouitiatus clausus, à reliquo Conuentu segregatus, vbi Magister Nouitiorum cum Nouitijs, vel alijs professis habitet. Neque quisquam illuc ingredi, vel inde egredi, sine ipsius licentia possit.

CAP. XVII.

De modo Professionis faciendæ à Fratribus post probationem.

Cōstitutio moderata

COmpleto termino probationis Nouitij, Prior de vita & moribus eius diligenti examine à Magistro illius inquirat: cuius conuersatio si adeò sancta & honesta extiterit, vt perseueraturus probabiliter iudicetur; Prior id in Capitulo Patribus Sacerdotibus proponat: & de assensu maioris & sanioris partis Capituli ad professionem admittatur. ¶ Fiet verò Professio hoc modo.

¶ In Choro, vel in Capitulo vocatis Fratribus omnibus, Nouitio existēte flexis genibus, & demissis oculis corā Priore, Prior dicat: Charissime Frater, ecce tempus tuę probationis expletū est, in quo expertus es omnem asperitatem Ordinis nostri; & in omnibus, præterquàm in consilijs fuisti nobiscum, sicut vnus ex nobis: nunc ergo ex duobus oportet te vnum eligere; siue à nobis discedere, & abire viam tuam; siue renuntiare seculo, & dedicare atque offerre totum teipsum Deo & Ordini nostro: sciens quòd postquam sic te obtuleris, iugum obedientiæ huius Ordinis, à collo tuo quacumque ex caussa non licebit excutere: quod sub tā morosa deliberatione cùm recusare liberè posses, sponte suscipere voluisti.

¶ Quòd si ipse responderit velle se Ordini offerre; tunc Prior stans benedicat cucullam, & scapulare, dicens. ¶ Domine exaudi, &c. ℟. Et clamor,

mor,&c.Dominus vobiscum,&c. ℟. Et cũ spiritu tuo, &c. Oremus. Omnipotens sempiterne Deus, qui tegimen nostræ mortalitatis induere dignatus es;qui humilitatem respicis, & nullum vis perire:respice propitius super hunc famulum tuum;& benedic hoc genus indumẽti,quod sancti Patres mundo abrenuntiantes, ad humilitatis indicium portare sanxerunt: vt hic famulus tuus qui eo vsus fuerit, mundo renuntians, humilitatem induat,patientiam seruet,castè viuat, te in omnibus,ac super omnia diligat,tua custodiat præcepta; ita vt in nullo eum aberrare permittas. Qui viuis & regnas cum Deo patre,&c.

¶ Statim Prior induat Nouitium cuculla,dicendo:Induat te Deus nouum hominem,qui secundum Deum creatus est, in iustitia & sanctitate veritatis.Amen. Nouitius itaque cuculla indutus benedicta, flexis genibus coram Priore; tenens librum Regulæ & Constitutionum Ordinis nostri, ponat illum in manibus Prioris, & profiteatur hoc modo.

¶ Ego Frater.N.filius.N.&c. & eius legitimæ vxoris.N.ciuitatis.N.completo anno & die meę probationis, facio solẽnem Professionẽ, & promitto obedientiam omnipotenti Deo, atq; beatissimæ Virgini Mariæ,& sancto patri nostro Augustino,& tibi Reuerendo Patri Fratri.N.Priori huius Conuentus. C. nomine ac vice Reueren-

dissimi patris nostri Generalis; & viuere sine ꝓprio, & in castitate, secundum regulam sancti patris nostri Augustini Episcopi, & vsque ad mortem. In quorum omnium fidem nomen meum subscripsi, die, &c. mensis, &c. Anno à Natiuitate Domini, &c. Et Prior subiungat: Et ego accepto tuam Professionem, In nomine Patris & Filij & Spiritus sancti.

❡ Quo facto, Magister Nouitiorum ducat eũ ad medium Chori, & ibi prosternat se in modũ crucis, & Cãtores incipiãt: Te Deum laudamus, &c. & prosequatur Chorus: ac tandem omnia peragantur sicut capite decimo quarto de receptione Nouitiorum dictum est: tradatq; eũ Magistro suo, vt ei obediat; & assignetur locus eidẽ: ac postmodum dicat Prior; Adiutorium nostrum, &c.

❡ Si verò Nouitius profiteri noluerit, aut maior & sanior pars Capituli in eius Professione nõ concordauerit; ad seculum liber cum omnibus suis rebus redire permittatur.

❡ Frater intra terminum trium annorũ à receptionis suę ingressu, ad officiũ Prioratus, Subprioratus, Vicariatus assumi non possit, nec discreti, Sacristæ, Procuratoris: nec vocem habeat in electione prædictorum, etiam si sit Sacerdos.

❡ Conuersi maneant in probatione per annũ & diem, sicut alij Fratres: posteà obedientiam, &

viuere

viuere ſine proprio, & in caſtitate Priori proprio promittant. Veſtes eorum ſuperiores ſint de pāno qui dicitur *Buriel*: Capularia autem nigri ſint coloris. ¶ Nunquam autem alicui conuerſo noſtri Ordinis, quantumcunq; vtili, cuculla conce datur: Quòd ſi aliquando alicui conceſſa fuerit, ipſe conuerſus priuetur, & conferens intra duos menſes decem dies in pane & aqua ieiunet. ¶ Poterit tamen pater noſter Generalis eis pro iuſta & rationabili cauſſa cucullam concedere.

CAP. XVIII.

Quomodo recipiantur Hoſpites, & ad quid teneantur.

HOſpites, ſi quando ad nos venerint, maximè Religioſi; Oſtiarius cum maxima vultus hilaritate ſuſcipiet eos; & introductis ſuadeat vt Eccleſiam intrent, vel Chorum. Poſtmodum in Capitulo ſedeant, donec reſponſum detur eis. Interim Oſtiarius cum matura feſtinatione ad Priorem accedens, denunciet illos adeſſe. Qui audito eo, quantum poterit honeſtè feſtinet, ſatisfacere eis; ne ſi abſque reſponſo longa mora eos tenuerit, materiam turbationis habeāt. ¶ Quòd ſi ipſi *Cōſtitutio*

hospites Religiosæ personæ & venerabiles fuerint, ad habitacula interiora introducat, vel eos introduci faciat: & si à remotis venerint, pedes faciat eis lauare. ¶ Non autem quoscunque Religionis habitum deferentes ad interiora duci volumus, nec parē familiaritatem quibuslibet exhiberi. Cunctis tamen etsi non ęqualiter, tamen secundum quòd honestas Ordinis, & facultas domus permiserit, charitatiuè & hilariter seruiatur.

¶ Hospites verò nostri Ordinis, siue de longè siue de prope venerint, quantum Prioris videbitur discretioni, in domo Hospitum erunt. Apud eum tamen nulla sit acceptio personarum: Deus enim personarum acceptor non est, qui merita considerat, non personam. ¶ Si enim ipsi Hospites fuerint Prælati, vel aliâs viri auctoritatis & præstantes, interdum cum eis comedere poterit ipse Prior, assumpto de Cōuentu nunc vno, nūc alio Fratre secum. Non autem indifferenter debet esse in mensa cū quibuslibet hospitibus: aut semper vnū eundem, aut eosdem Fratres de Conuentu assumere: ne inde Conuentus (si sæpiùs extra Refectorium fuerit, aut solus, aut si eosdē sæpiùs assumpserit) detrimentum patiatur; & huiusmodi singularitate sua cæteris caussa scandali sit.

Additio. ¶ Volumus etiam, vt mensa hospitum nostro-

rum

rum sobria sit & paupertati cōgruens. Vnde prę-ter pitanciam Conuentus, nihil aliud poterit illis ministrari, quàm fructus arborum, & aliquid assi in principio; & hoc tantùm primis tribus diebus. ❡ Nisi fortè inciderit tunc aliquod festum: tunc enim poterit addi aliqua scutella, vel quid simile in fine.

❡ Recumbentibus verò hospitibus, ibi illi soli compareant, quibus iniunctum est, vt eisdē seruiant. Et ipsi hospites, maximè si nocturno, aut silentij tempore venerint, se nullis coniungant, vel loquantur, nisi Prælato & illis ad quos spectat hospites suscipere; vel de licētia speciali Prioris; cùm & ipsi hospites eodem tēpore, quantùm commodè poterunt, silentio intendere debeant.

❡ Post exhibitam autem à Priore hospitibus humanitatem decentem, consideratis eorū meritis, & labore post tres dies, vel vt plurimùm, si de longe venerint, vel fuerint personę Ordinis venerabiles; hebdomada transacta, si vlteriùs in Cōuētu moram contraxerint, vbiq; & in omnibus sicut Fratres Conuentuales ad omnia teneātur. ❡ Excepto quòd in Capitulo, nisi in sua, vel alterius accusatione, vox nulla erit eorum. Et Prælati hospites ad Capitulum ire non tenebuntur, nec ad obedientias laboris corporalis. *Additiūcula.*

❡ Si tamen aliquis aliquid à Priore suo habuerit in mandatis, seu quodcunq; aliud negotium

vtile & honestum, cui oporteat ipsum attēdere; Prior loci non patiatur ipsum negotijs alijs grauari, vel occupari: ne illud propter quod venit, impediri valeat, vel differri: sed sicut discretioni suæ videbitur, ei de socio prouideat, cū quo possit illud tale expedire.

¶ Nolumus etiã Hospites simul ire, quacūq; ex caussa, nisi sint personę venerabiles & graues: vel nisi iudicio Prioris in necessitate non debeat negari.

¶ Cùm Fratres debent aliquò ire, sequēti die non reuersuri, accedant ad Chorum, & positis genibus ante maius Altare, dicant Psalmū, Beati immaculati, vsque, Retribue, cum Gloria patri. Kyrie eleison, &c. Pater noster, &c. ℣. Mitte nobis auxilium, &c. ℟. Et de Sion, &c. Dñe exaudi &c. Dñs vobiscū, &c. Oremus. Adesto dñe supplicationibus nr̃is, & viã famulorū tuorū in salutis tuæ ꝓsperitate dispone: vt inter vię & vitæ huius varietates, tuo semp protegãtur auxilio. Per christū, &c. ¶ Cùm verò redierint, positis genibus, vt dictū est, dicãt Psal. Leuaui oculos meos, &c. cū Gloria pr̃i, &c. Kyrie eleison, &c. Pater nr̃. ℣. Saluos fac seruos, &c. Dñe exaudi, &c. Dñs vobiscū, &c. Orem⁹. Omps sempiterne Deus miserere ijs famulis tuis; & quicquid eis in via surripuit visus, auditus, malæ rei, aut otiosi sermonis: totū tua ineffabili pietate absterge. Per Christum, &c.

¶ Si autē Frater aliquis extra Conuentum suū aliquid commiserit correctione dignū; si illud ei sufficienter probatur, à Priore in cuius Conuētu, vel questa est, de huiusmodi delicto quod cō misit, secundum statuta Ordinis corrigatur.

Quòd si ipse Prior Fratrē qui in Conuētu suo, vel in questa sui Prioratus deliquit, corrigere sine scandalo non posit, Priori Prouinciali, aut Visitatori excessum huius Fratris, quàm citiùs poterit, lucidè & distinctè, cum omnibus cōditionibus aggrauantibus, vel alleuiantibus delictum scribat, & notificet.

¶ Definimus preterea, quòd nullus Frater nostri Ordinis veniens ad locū, vbi est aliquod Monasterium Ordinis, in domibus secularū comedere, vel pernoctare præsumat. Qui contra fecerit, à Priore illius loci, si illi constiterit, vel à suo Priore, si posteà constiterit eius culpa, tres dies in pane & aqua ieiunare cogatur: & eisdem diebus disciplina detur eidem.

Quòd si Prior aliquis tale quid commiserit, eadem puniatur pœna à Prouinciali.

Prior qui dissimulauerit, cùm res fuerit ad eū delata, eandem pœnam sustinere cogatur.

¶ Prior qui circa charitatiuam hospitum receptionem negligens fuerit, grauiter à Prouinciali puniatur.

¶ In quolibet autē Cōuentu sit hospitiū separa- *Additio.*
tum

tum à Conuentualium habitatione, vbi hospites recipiantur, in quo poterit aliquid ad parietes suspendi; & in lectis poterunt esse paramēta, & stragula lintea, non curiosa, nec pretiosa.

¶ Nullus hospes, vel ad solatium, vel ad negotium, vltra vigintiquinq; dies maneat in domo: & statim vt venerit, exhibeat Priori Conuentus tam negotium, quàm pecunias quas secum fert, quæ in deposito reponantur, & inde non nisi ad necessaria hospiti, vel negotio extrahantur: & quod superfuerit, proficiscenti tradatur. Si autem negotium plus temporis requirat, Procuratori Conuentus commendetur, & pecunia necessaria: de quibus Priori alterius Conuentus rationem reddat.

CAP. XIX.

Quòd Fratres sine literis testimonialibus non vagentur.

Cōstitutio moderata.

STatuimus vt nullus Frater nostri Ordinis extra cepta Monasterij vadat solus ad populum sine socio, siue subditus, siue Prior: neq; quenquam Prior solum ad populum mittat, nisi in graui & vrgenti necessitate; ita quòd aliâs vel do-

muí,

mui, vel Fratri alicui graue detrimentum immineret, vel charitas ad id vrgeat: in quo casu talis mittatur, de cuius honestate & grauitate non dubitetur. Priores Conuentuales contra facientes, Prouincialis grauiter puniat, vel ab officio suspēdat, aut absoluat.

Cùm autem Fratres iter agunt, poterunt soli ire: paupertas enim nostræ Religionis non patitur, vt cuilibet iter agenti prouideatur de socio. *Additio.*

¶ Insuper inhibemus, ne aliquis Prior Cōuentualis det licentiam Fratribus eundi de loco ad locum per prouinciam; nisi fortè pro necessitate, aut communi vtilitate sui Conuentus, vel alterius nostri Ordinis; vel pro aliquo arduo casu, vel manifesta & euidenti necessitate, vel vtilitate alicuius Fratris, vel alterius personæ: & hoc cum literis testimonialibus, in quibus caussa huiusmodi exprimatur: qua cessante caussa, statim reuertatur.

¶ Præcipimus etiam, vt nec ipsi Priores sine caussa euidenti de loco ad locum vadant. Contra facientes, à Prouinciali, vt dictum est, puniantur. Si quis quoque Prior Conuentualis extra prouinciam propriā iuerit, aut de Fratribus suis miserit aliquem, sine Generalis, aut Prouincialis sui licentia, similiter puniatur; nisi Prior alicuius loci in prouinciarum confinibus constituti; qui possit ire, vel mittere suos Fratres ad propinquā

ciui-

ciuitatem pro casu vtili & honesto.

Additio. ¶ A quolibet Fratre aliũde veniente ostiarius primùm petat sui superioris licẽtiam, postquam domum fuerit ingressus: & si inuentus fuerit sine literis testimonialibus, Prior eum faciat incarcerari: nec inde extrahatur, donec Prior Prouincialis, vel Visitator (si Prouincialis non fuerit in illa visitatione) prouiderit, quid de eo sit agendũ. Quapropter statim atque aliquis huiusmodi cõprehensus fuerit, Prior rem omnem provt se habet declarabit per literas Prouinciali, vel Visitatori; & eorum volũtatem super hac re exquiret.

Cõstitutio ¶ Inhibemus etiam, ne quis Frater extra cepta loci etiã associatus sine licentia sui Prioris exeat. Si quis contra fecerit, per tres dies in pane & aqua sedens in terra ieiunare cogatur, & eisdẽ diebus recipiet disciplinam, pro prima vice. ¶ Pro secunda verò per mensem incarceretur, & sustineat pœnam grauioris culpæ: & supradictam licentiam ipsemet personaliter petat à Priore, non per alium, cuiuscumque conditionis extiterit.

¶ Si quis quoq; de Fratribus nostris, cuiuscũque cõditionis existat, siue Conuentualis sit, siue hospes (Prioribus, Elemosynarijs, & Procuratoribus exceptis) aliquò visitãdi gratia, vel quacumque alia caussa exire debet, domos, ac personas ad quas ire intendit, Priori loci specificet, socium nullum petens ex nomine, sed contentus

sit eo

ſit eo de quo ſibi diſcretio Prioris prouiderit. Et ſi forſitan aliquando vocatus, cauſſa rationabili ſuadente, domum intrauerit aliquam non ſpecificatam à ſe, reuerſus ad Conuentum, illud Priori ſignificet. ❡ Nullibi autem prandeat, aut cœnet, niſi de expreſſa licentia Prioris. Quæ licentia rarò concedetur, & non niſi perſonis Religioſis, & apud graues perſonas, aut parẽtes. *Additiones.*

❡ Qui verò mane domo exierit, reuertatur antequàm Conuentus exeat à prandio: qui veſpere, ante finitum Completorium. Itaq; quocũque anni tempore non licebit eſſe extra Monaſteriũ, niſi quãdiu dies adhuc clarus eſt; niſi fortè Prior aliter fieri oportere, aliquando iudicabit: veluti pro confeſſione audienda, vel conſolando aliquo iam iam morituro, aut in caſu grauis & vrgentis neceſsitatis; ita vt ſi differretur in alium diẽ, graue damnum, vel incommodum immineret Cõuentui, vel alicui perſonæ.

❡ Tardè venientes Prior corripiat, vel puniat iuxta morem, & perſonæ qualitatem.

❡ Diebus feſtis, niſi vrgens & neceſſaria cauſſa ſe obtulerit; extra domum nullus egrediatur.

❡ Fratres foras exeuntes, habita licentia maioris, redeuntes cucullis induti reuerenter petãt benedictionem ab eo.

CAP. XX.

Qualiter intremus ad refectionem.

Cõstitutio moderata

HOra competenti ante prandiũ, vel cœnam, Subprior, vel Cellarius, autMinister hebdomadarius cymbalũ paucis ictibus pulset, & Fratres conueniant ad refectionem; atque in silentio stent, quousque post refectionẽ exoluerint gratias in Ecclesia. ¶ Prior autẽ signo audito, longam moram ne faciat; sed aut per se, aut per alium Fratres ad mẽsam intromittat: hoc modo. Ad signum Prioris cantet hebdomadarius, vel cantor; Sancta Maria succurre miseris, &c. vel aliquid simile: & faciente iterum signum Priore, cesset; & omnes surgant, & Refectorium processionaliter ingrediantur; versisq; vultibus ex vtroque Choro stantibus, Cantor ad signum Prælati incipiat benedictionem, dicendo: Benedicite, &c. vt in Breuiario in Rubrica de mensa per omnia continetur.

¶ Fratres panem non discooperiant, donec lectio fuerit incepta, & Prior signo licentiam comedendi dederit.

Fratrum præsentium in Conuentu nemo remaneat, vt comedat in secunda mensa; exceptis custodibus & ministris. Et quotquot remanse-

rint

rint,in ſecunda menſa comedant; nec tertia fiat: in vtraque autem lectio habeatur. ¶ Ad prandiũ in prima menſa ſemper legatur vnum capitulum ſacræ Scripturæ in principio,poſteà lingua vulgari,vel de homelia Euangelij,aut de hiſtoria feſti occurrentis. Ad cœnam verò,ſeu collationem in principio ſemper legatur vnum Capitulum noſtrarum Cóſtitutionum, ne quis eas ignoret: poſt vel de contemptu mundi, qui aſsiduè legetur,vel de alio libro pio & deuoto lingua vulgari. Sextis ferijs legatur Regula ſancti patris noſtri Auguſtini ad prandium. Quòd ſi tunc non potuerit finiri, finiatur ad collationem : niſi occurrat illo die aliqua ex ſolemnitatibus præcipuis; tunc enim differetur in Sabbatum.

¶ Nulla pitancia fiat in ſecunda menſa, quæ in prima non ſit facta: niſi forſitan interdum hoſpites affuerint: nam tunc eorum reliquiæ poterunt in ſecunda menſa comedentibus dari.

¶ Frater ſedens in Refectorio non mittat Fratri pitanciam abſque licentia Prioris: ſed de ſibi data à Priore,vel permiſsione ipſius ab alio, poterit dare iuxta ſe ſedenti à dextris,vel à ſiniſtris. Si quis iuxta ſe ſedenti viderit aliquid deeſſe de eo quod cõmuniter omnibus apponitur, ſigno requirat à miniſtro,ſi ſigna ſcit;ſin autem,ſilenter requirat.

¶ Si quis ad Refectorium manifeſtè,vel latẽ-

F ter

ter aliquid sine licentia acceptum, adferre præsumpserit, ipso statim priuetur: & Prior eum iuxta discretionem suam corripiat & puniat.

¶ Prior solicitè & atentè respiciat recumbẽtes, & si quos incompositè, vel indecenter se habere deprehenderit, aut mox signo coërceat, aut statim post gratias durè arguat, vt cæteri terreãtur: si verò id non sufficere iudicauerit, pœnam eis quæ ipsos instruat imponat.

¶ Quicumque aliquid in Refectorio commiserit negligenter, vt pote quia confregit vas, vel aliquid illi in terram cecidit; statim surgens corã Priore flexis genibus culpam dicat.

¶ Postquam igitur Prælatus conspexerit Fratres ab esu desistere, signum campanella faciat: tunc tres Fratres colligant reliquias; primus panis, secundus vini, tertius aquæ; quæ vasis vt mũdentur, est infundẽda. ¶ Quibus peractis, signo imperet Prior Lectori finem legendi facere: quo audito, dicat: Tu autem, &c. & Conuentus respõdeat: Deo gratias. & tunc omnes à mensis surgãt & stantes sicut in principio gratias agant; & cãtantes, Miserere mei Deus. post prandium vadãt ad Ecclesiam, vbi Gratias finiant. ¶ Post cœnam autem dicant, Laudate Dominum omnes gẽtes. & ibidẽ existentes gratias finiant, & processionaliter cum silentio egrediantur.

¶ In Cœna autem Domini & Parasceue, post-

quam

quam Lector in mensa finem lectioni fecerit, sine Tu autem, Cantor incipiat: Christus factus est pro nobis, &c. & Psal. Miserere mei. qui ibi finiatur sine Gloria patri. & dicta Oratione, Respice quæsumus Dñe, &c. posteà ad Chorum Domino gratias acturi vadant.

CAP. XXI.

De vsu ciborum, & ieiunio obseruando.

FRatribus nostris liceat per totum annum, ijs diebus quibus ab Ecclesia non prohibetur, carnes edere; præterquam à Festo Omnium sanctorum vsque ad Natiuitatem Domini; quo tempore nulla occasione, aut carnibus vesci, aut ieiuniũ frangi permittetur. ¶ Itẽ feria secunda & tertia post Dominicam Quinquagesimæ. ¶ Quartis autẽ ferijs, vel cibis Quadragesimalibus, vel saltẽ extremitatibus animalium, vel intestinis tantùm vescentur. *Cõstitutio et additio*

¶ Non licebit autem carnes edere, nisi caussa necessitatis cum licentia maioris. ¶ Præter hæc autẽ sequentibus diebus ieiunabũt. ¶ Omnibus sextis ferijs totius anni, ¶ Præterquàm in Natiuitate Domini, si feria sexta venerit: tunc enim carnibus vescentur. ¶ Item in Vigilia Ascensio-

nis Domini. In Vigilia Corporis Christi. In Vigilia sancti patris nostri Augustini, & in Vigilia Natiuitatis sanctæ Mariæ Virginis. ¶ Qui autē aliquod istorum ieiuniorum fregerit, sine licentia Prioris expressa, infra duas hebdomadas à fractione ipsius ieiunij, tres dies in pane & aqua ieiunet, sedens in medio Refectorij super nudam terram. Eidem pœnæ subiaceat Prior qui prædictam pœnitentiam non fecerit obseruari.

¶ In Parasceue pane tantùm & aqua reficiatur Conuentus. ¶ Quæ autem pitancia sit Fratribus conferenda à Prouinciali, pensata Conuentuum facultate & qualitate terrarum, in quibus Monasteria sunt constituta, taxabitur: & non poterit illam minuere Prior, vel augere.

¶ Nunquam permittat Prior vt Refectoriū à medietate Fratrum relinquatur; neque poterit in ieiunijs Ordinis cum omni Conuentu dispensare, sed cum illis tantùm Fratribus, qui legitimā ad non ieiunandum caussam habent: ¶ Nisi fortè Circuncisio Domini, Epiphania, festū Assumptionis Virginis, & patris nostri Augustini venerit feria sexta, aut aliud simile ex solemnioribus: poterit enim tunc in ieiunio cum omni Conuentū dispensare.

¶ Prior, nisi caussa infirmitatis, vel ratione hospitum, extra Refectorium non reficiatur.

CAP.

CAP. XXII.

Quomodo conueniamus ad collationem.

FActo ſigno ad collationẽ omnes cõueniant in locum qui dicitur De profundis, ante Refectoriũ; & ad ſignum Prioris ingrediantur, & ſedeant in locis ſuis: Lectorq́; incipiat lectionem, pulſataq́; campanella à Priore, dicat Lector: Benedicite, & Prior ſubiũgat: Largitor omnium bonorum benedicat potum & cibum ſeruorũ ſuorũ, & reſpondeatur ab omnibus: Amẽ. ¶ Et Fratres cum ambabus manibus bibant, & cooperto capite; quod ſeruare debent ſemper & vbique, ſedendo; & in finem ad ſignum Prioris colligãtur ſi quæ ſuperſunt reliquiæ: & poſtmodum dicat Prior, Adiutorium noſtrum in nomine Domini. Conuentus reſpondeat, Qui fecit cælum & terram: & ſic ſurgant omnes. *Cõſtitutio et additio*

¶ Inter duo Paſchata cum ſalaticio, vel enſalata poſsint Fratres collationem facere: alijs autem diebus cum aliquo fructu arboris bibant, vel ſaltim fruſtro panis.

CAP. XXIII.

De qualitate & numero veſtimentorum Fratrum.

Cōstitutio moderata

FRatres, exceptis farabollis atq; vdonibus, iuxta carnem vestimentis lineis non vtantur, sed laneis: quæ tantò magis nostræ honestati congruunt, quantò viliores fuerint. Vnicuiq; autē Fratri liceat habere vnicam tunicam longam albi coloris, duo scapularia, & duo capucia, seu cucullos, & vestem aliam breuiorem, quam sub tunica longa portabit, si placuerit; semper tamen sub cuculla nigra. ¶ Cucullas verò deferant nigras non de staminia, neq; de sargia, vel alio pretioso panno; sed omnes vestes Fratrum tam albæ quàm nigræ sint de eo panno rudi & grosso, qui dicitur (Cordellate de Aragon) præter inferiorem vestem quam vocamus Almillam, & caligas, & farabolia, quæ poterunt esse de staminia, vel Cordellate & scapularium quoq; & cucullā, quæ poterunt esse de staminia rudiori.

¶ Nulli autem Fratrum liceat pretioso panno vti, etiam si vestes illi dentur à parentibus, cognatis, seu personis secularibus, vt honestati nostræ paupertatis & conditioni exigentiæ eleemosynarum respondeamus. ¶ Quapropter districtè præcipientes mandamus Prouinciali & Visitatoribus, vt quoscunque inuenerint contrarium facientes, siue Priores, siue Prædicatores, siue Lectores, siue quoscumque alios; acriter carpant &

Additio.

punia nt

puniant,& huiuſmodi veſtes ab eis auferant,vẽdiq́; faciant cum honeſtate Ordinis: & de pretio eis emantur veſtes honeſtæ & humiles.

¶ Super cucullam,vel nigrum habitum cingãtur Fratres corrigijs, quæ ſint de corio nigro duobus digitis non latiores,neq; breuiores digito & dimidio, & ab eis nihil dependeat.

¶ Cucullam nigram deferant Fratres quoties à Monaſterio egrediuntur:& quicunque per villas & ciuitates ſine cuculla inceſſerint, velut Apoſtatæ puniantur.¶ Item Dominicis omnibus ac Feſtis diebus ad vtraſque Veſperas, ad Matutinum,& ad Miſſam maiorem,& in Proceſsionibus;præterquàm in Proceſsione quæ fit Sabbatis,cùm dicitur Salue.¶ Feſtis verò diebus & Dominicis Sacriſta induatur habitu nigro, & ſimiliter qui ſeruiunt Miſſæ,vel aliqua veſte linea ſuper veſtes communes albas,vt decẽter miniſtrẽt Altari.

¶ Calceis de corio nigro vtantur omnes Fratres & ſenes & valetudinarij formæ Religioſę & nihil curioſitatis habentibus. Nec liceat vti crepidis alicui: Et ſolus Procurator præcipiat facere,& ab eo accipiant Fratres.

¶ Inhibemus autem diſtrictè omnẽ alium colorem in veſtibus Fratrum, tam internis, quàm externis;& quamcũque curioſitatem,tam in forma, quàm in materia, quæ habitum ſecularium

imitetur, vel noſtram non deceat honeſtatem. Præcipimusq́; vt omnes noſtræ veſtes ſint vniuſmodi, in longitudine vſque ad talum. Scapularia & capucij non excedant humeros. Manicæ autem tunicæ nigræ latitudine erunt inſtar palmi & medij plus minus, Manicæ autem tunicæ albæ erunt breuiores. ¶ In thoracibus, vel almillis poterunt vti aſtrigmentis illis, quæ vocantur *Botones*; ita tamen vt ſint de eodem panno, ſine vlla curioſitate, & quot opus fuerit ad ſtringendas veſtes.

¶ Vnde etiam inhibemus caligas integras, ocreas, birreta ſecularium & Clericorum, manicas, vel chirotecas, niſi in itinere; cultellos deauratos, vel deargentatos, vaginas cultellorum rubeas, vel bicoloratas. ¶ Inhibemus etiam ne quis vtatur pileo lineo ſub cucullo, niſi cauſſa infirmitatis. ¶ Inhibemus item, ne quis Prelatus poſſit dare licentiam alicui Fratri, vt veſtibus lineis ad carnem vtatur, niſi in caſu neceſsitatis, & de conſilio Medicinæ. ¶ Extra cellam nullus exeat ſine cuculla, vel ſine ſcapulario & capucio: nec aliquis dormiat ſine cuculla & ſcapulario paruo de ſtaminia, vel lineo pro infirmis & prouectioribus Fratribus.

¶ Quia congruum tempus ad prouiſionẽ veſtimentorum Fratrum eſt à feſto ſancti Michaëlis vſque ad feſtum Omnium ſanctorum; Prior à

ſingulis

ſingulis Fratribus inquirat quidnam eis deſit, & iuxta ſingulorum neceſsitatem eis faciat prouideri. Prouideāt autem Priores locales, ne Fratres qui à ſuis Conuentibus ad alios transferuntur, nudi diſcedant, ſed ijs de neceſſarijs prouideant, habita ratione temporis, quo in tali Monaſterio fuere Cōuentuales. Ea pecuniæ portio quæ pro emendis veſtibus diſcedenti Fratri, iuxta tempus quod in tali Conuentu fuerit Conuentualis; nequaquam tradatur Fratri demigranti, ſed Prior Cōuentus vnde diſcedit mittat eam ad Priorem Conuentus in quo moraturus eſt. Quod ſi non fecerint, per Prouincialem facere compellantur.

¶ Itē, nullus Fratrum veſtes lineas, vel laneas mulieribus lauandas mittat; ſed vt præcipit beatus Pater noſter in Regula, à vobis, vel à fullonibus lauentur; niſi ex rationabili cauſſa, & de licentia Prioris, & muliere honeſta.

CAP. XXIIII.

De cellis Fratrum, & earum ſupellectile.

FRatres omnes noſtri Ordinis, quicumque ſint, in communi Dormitorio cellam habeant; neq; quiſquā habeat cellam ſeparatam, neq; plures, ſed vnam tantùm. Quarum ſu- *Ex Bulla.*

pellex, & ornatus paupertati, & humilitati nostri status conueniant. ¶ Vnde nulli liceat habere imagines, aut alia quæcũq; nimis curiosa, aut pretiosa; nec stragula lintea, quæ patrio sermone dicuntur Colchas, vel Vanouas in lectis, aut aliquid sericũ, vel acu pictum. Qui contra fecerit; rebus huiusmodi priuetur. Quòd si monitus se nõ correxerit, à Prouinciali, vel locali Priori grauiter puniatur: aut si is fuerit Prior, deponatur.

Ex Bulla. ¶ Sint præterea parietes cellæ nudi, neq; liceat quicquã ex eis suspẽdere: præterquã quòd ad caput lecti licebit ratione sanitatis tuẽdę, appẽdere stratum sparteum, vel vinceum: simileque licebit extendere super solum cellæ in hyeme.

¶ Prouideatur verò vnicuiq; de mensa, cellaq; cõmuni nõ pretiosa neq; curiosa, de candelabro, siue lucerna, de lecto decẽti, in quo sit vna culcitra staminea, altera lanea, & duo, vel tria stragula, patria lingua Mãtas, ò flaçadas, secundũ qualitatẽ terræ, vel frigidioris, vel calidioris, & vnum ceruical. ¶ Nulli autem permittãtur sindones linei, nisi senibus & infirmis; vel eis, de quorũ infirmitate, seu imbecillitate probabiliter timeatur, quibus curabit Prior secundum sui Conuentus facultatem, vt nihil desit.

Cõstitutio ¶ Quicũq; autẽ Frater cellã alterius intrauerit sine expressa licentia Prioris (quã licentiam non nisi pro rationabili & necessaria caussa dabit) si

de

de die, per quindecim dies in terra sedens in medio Refectorij pœniteat, de nocte verò intrans prædictam pœnã sustineat duplicatam. Si quis autem sæpiùs de hoc notatus fuerit, atque conuictus; de illo Cõuentu remoueatur, tanquã inobediens & suspectus, & voce careat per duo triẽnia. Eodẽ modo puniatur ille cuius est cella, nisi immediatè exiuerit d illa, & notũ fecerit maiori. *Additio.*

¶ Prædictam autẽ pœnam non extendimus ad cellã Prioris, vel Subprioris ĩ absentia Prioris, nec Magistri Nouitiorũ pro Fratribus sibi subiectis.

¶ Volumus autẽ quòd quilibet Prior ad minus quater in anno cellas sui Cõuẽtus visitet, assũptis secũ vno, vel duobus de grauioribus Cõuentus; & diligẽter inquirat, an sint aliqui qui camiseis lineis, vel sindonibus vtãtur, vel aliquid habeãt in cellis suis magis delicatũ, curiosum, aut pretiosũ; quàm quod statui & paupertati nostrę cõgruat: & ab illis huiusmodi auferat, puniatq; animaduersione cõdigna. ¶ Item inquirat an aliqui habeãt sigilla propria: nã pręter Priores, qui singuli habebunt sigillũ paruum suorũ Conuentuum, nulli liceat habere proprium sigillum (nisi de licentia Prouincialis) in quo casu non licebit in sigillo generis insignia depingere, sed aliud quòd Religionem sapiat & pietatem, vt nomen Iesu, vel Mariæ, vel quid simile. *Cõstitutio*

¶ Item inquirat & indaget diligenter, an aliquis

habeat

habeat aliquod genus armorum, quodcũq; ſit, & ab eo auferat, puniatque per quindecim dies pœna grauioris culpæ.

Additio. ¶ Ille qui de loco ad locum obedientiam recipit ſe transferendi, omnia quæ habet tam in libris quàm in alijs rebus quibuſcumq;, Priori loci de quo recedit, ſigillatim demonſtrabit; & omnia ſcribantur in vna ſchedula; & cum illa repreſentet ſe Priori ad quem vadit; ſciatque præuaricatione ſuæ inobedientię perditurũ ſe quaſcumque res, ſi ſecundum prætaxatam formam omiſerit præſentare ſeſe.

¶ In foribus cellarum eiuſmodi ſera apponatur, vt quicumque tranſierit, ex ea cognoſcat, adſit Frater in Cella nécne, & Prior clauem cõmunem habeat, omnibus ſeris aperiendis coaptatam.

CAP. XXV.

Quomodo & quoties in anno raſura fiat.

Cõſtitutio RAſura ſuperior, ſiue corona ſit nõ modica, vt Religioſos decet, ita vt inter ipſam & tonſuram, quæ deſuper auris eſt, tam Clericis quàm Laicis Fratribus omnibus, ac etiã conuerſis æqualiter fiat, & non reſeruentur Cle

ricis

ricis plus quàm tres digiti capillorum. Et fiat à Reſurrectione vſque ad feſtum Omnium ſanctorum quintadecima quaque die, deinde verò vſque ad Reſurrectionem vigeſima quaq; die, vel ſaltem ſemel in menſe. ¶ Nulli autem Fratri liceat neque anteponere, neq; poſtponere tempus raſuræ, ſi in Conuentu adeſt, niſi propter infirmitatem, & de licentia Prioris.

CAP. XXVI.

Quomodo procedatur in electionibus noſtris.

OMnes electiones in noſtro Ordine quorũcumque Prelatorũ fiant per vota ſecreta: ita vt primò eligantur duo ſcrutatores, qui eligẽtur tantùm quando eſt facienda electio Prioris Prouincialis, vel localis, Diſcreti, vel Vicarij (in Conuentu carente Subpriore) dũ itur ad Capitulum Prouinciale. ¶ Eligentur autem per ſchedulas (ex declaratione Concilij Tridentini miſſà à ſummo Pont. Pio. V. patri Reformatori) quę mittentur in capſam, vel in vrceolũ; & inde extrahentur à duobus, vel tribus de ſenioribus Capituli, aſtantibus duobus, altero extrahente, altaq; voce vt extraxerint legent vnáquamque, & ſcribet vnus, duobus aſpiciẽtibus: *Cõſtitutio et additio*

& illi

& illi in quos plures conuenerint, erunt scrutatores. ¶ Et deinde procedent ad electionē Prælatorū hac ratione: Primùm vnusquisque ex habentibus vocem scribet in schedula nomen illius quem eligit, deinde plicatam schedulam mittet in capsam prædictam: tunc Scrutatores inspiciēt singulas schedulas, & vnus illorum stans in medio Capituli, pronūtiabit electionem. ¶ Electio Prioris Prouincialis, siue localis erit Canonica; & similiter Vicarij qui eligitur cùm ad Prouinciale Capitulum itur, atq; discreti: Canonicam verò eam dicimus, in qua maior pars Capituli conuenerint, ita vt si viginti sint Capitulares, ad minus vndecim, vel duodecim debeant vni & eidem suffragari. Definitores verò, scrutatores, depositarij illi habebuntur electi, qui plures voces habuerint, etiam si electio non sit Canonica.

¶ Quòd si Capitulum in electione Vicarij, qui eligitur cùm ad Prouinciale Capitulum itur, vel Discreti, in æquales partes diuidatur, illius partis præualebit electio, quam Prior acceptauerit.

¶ In Capitulo nullus vocem habeat, nisi adfuerit præsens, neque possint vota absentiū per alios suppleri: Nullus item qui non sit Sacerdos, & qui à die ingressus in Monasterium tertiū annum non compleuerit. ¶ Si quis Frater cum aliquo Prælato, vel Domino seculari commoratur, de eius existens familia quantum ad domiciliū,

& men-

& mensam, nullam vocem habebit in nostris Capitulis, & electionibus: cuiuscumque ille gradus & conditionis sit, quãuis poßit si quid animaduersione dignum commiserit, per quẽlibet Priorem Prouincialem, vel localem capi, & incarcerari, & iuxta cõstitutiones nostras puniri. ¶ Nullus autem poßit eligi, relinqui, vel assumi in Priorem Prouincialem, vel localem, Subpriorem, aut Vicarium, nisi fuerit Sacerdos & natus de thoro legitimo; nisi fuerit cum illo legitimè per summũ Pont. dispensatum.

¶ Statuimus insuper, quòd quicumque procurauerit literas, vel preces importunas alicuius personæ non profeßæ nostri Ordinis, pro quacumque promotione in Ordine consequenda; seu pro correctione, vel pœnitentia subterfugiẽda, eo ipso sua petitione frustretur, & voce careat per quinquennium, & nihilominùs per vnũ mensem pœnæ grauioris culpæ subiaceat. Et si de aliquo probabiliter pręsumatur, quòd tales literas, vel preces procurauerit, & ipse negauerit, ad suã purgationem Canonicam compellatur: in qua si defecerit, pœnæ subiaceat supradictæ.

¶ Si Frater aliquis cuiuscũq; conditionis existat, inueniatur procurare voces pro se, seu pro quocũque alio Fratre eligẽdo ad curam animarum, vel ad quodcũque aliud officium Ordinis, quindecim diebus in pane & aqua sedendo in

medio

medio Refectorij ieiunet, & qualibet die recipiat vnam disciplinam, & vsque ad triennium voce careat.

¶ Itẽ inhibemus quòd nullus Frater electioni de se factæ ad Episcopatum, Abbatiam, Prioratum, seu ad quamcũque Prælationem aliã extra Ordinem nostrum, assensum præbeat (cùm hoc de iure non posit) nisi de Prioris Generalis, vel alterius superioris qui de iure dare posit, licentia speciali. Nec etiam aliquis habita tali licẽtia, assensum præbeat, nisi priùs suo Priori locali, vel Prouinciali in Fratrum aliquorum præsentia, libros, aliasq; res omnes quas in Ordine nostro retinebat, integraliter resignauerit; nisi aliud Priori Prouĩciali, vel locali rationabili caussa videbitur expedire. Qui contra fecerit, sit eo ipso vinculo excommunicationis innodatus, quam in eũ, vel in eos, trina Canonica monitione præmissa, in ijs scriptis ferimus. ¶ Eidem sententiæ subijcimus Fratrem qui sibi procurauerit Episcopatum de solo titulo, vel aliam Prælatiam extra Ordinem nostrum; & nihilominùs pœnã grauioris culpæ sustinebit per sex menses.

Additio.

CAP. XXVII.
De officio Subprioris, & eius auctoritate.

Qui-

QVilibet Conuentus nostri Ordinis, in quo præter Prioré duodecim Fratres fuerint, debet Subpriorem habere: qui à Definitorio & à Prouinciali eligatur. *Cōstitutio*

¶ Officium, siue auctoritas Subprioris in solius Prioris potestate consistit, ita vt ipso Priore existente in loco, sic se habeat sicut alius Frater in omnibus; excepto quòd vbicūque Fratres cōuenerint, etiam præsente Priore, habebit primū & digniorem locū sui Chori. Et si Prior aliquibus negotijs occupatus, in Choro, vel in Capitulo, seu ad collationem non fuerit, aut cum hospitibus extiterit, Subprior in locis illis loco Prioris erit, & ei sicut Priori obedietur.

¶ Pertinet etiam ad illum diligenter inspicere, & inquirere quid agatur in Choro, Dormitorio, Refectorio, & cęteris domus officinis: & si quid compererit correctione dignum, vel corripiat statim, vel Priori manifestet. Non poterit autem existente in domo Priore, dare aliam pœnitentiá Sacernotibus, quàm vel priuare eos vino, vel iniungere aliquid dicendum flexis genibus in medio Refectorij. Fratribus verò non Sacerdotibus vltra hæc poterit præcipere, vt sedeant in terra in medio Refectorij in pane tantùm & aqua comesturi. ¶ Cùm autē Prior foras egreditur die ipsa reuersurus, ac si in Monasterio esset Prior, eadē

auctoritas Subprioris erit; vnde emittere foras non poterit Frates, nisi casus necessarius extiterit. Poterit autem permittere, vt Fratres cum extraneis loqui valeant in casibus concessis, & in ieiunijs Ordinis dispēsare, nisi illi fuerit interdictū.

Additio.

¶ Si verò ad loca remotiora perrexerit Prior nō statim reuersurus eadem die, potest Subprior in omnibus gerere vicē eius, nisi Prior illi aliqua specialia interdixerit: contra quæ vel illorum aliquid etiam si totius capituli consensus accedat, non præsumat aliquid facere. ¶ Cumque hæc ita sint, vt in absentia Prioris Subprior illius habeat auctoritatem omnia quæ in nostris constitutionibus vel præcipiūtur, vel prohibētur Priori eadem præcepta vel prohibita Subpriori habebuntur: & Vicario similiter vbi non fuerit Subprior.

¶ Cùm verò Conuentus nō habet Subpriorē, & Prior vel grauiter ægrotat, vel aliquò proficiscitur, ad arbitrium suum alicui de magis discretis Religiosis & prouidis vices suas committat. Quòd si Prior ex illa infirmitate moriatur, ille cui Prior vices suas commisit, domus curam geret, quousque Prouincialis aliud prouiderit.

¶ Cùm autem ad Prouinciale Capitulū itur, in Conuentu in quo non est Subprior, eligetur vnus Vicarius qui post Prioris egressum sicut Prior eorum in spiritualibus & temporalibus habeatur,

beatur, donec Prior ipse reuertatur ad locũ, vel ei fuerit de successore prouisum: qui tenebitur prohibitiones & pręcepta Prioris seruare, quemadmodum Subprior.

CAP. XXVIII.

Quomodo eligantur Procurator & Sacrista, & de eorum officijs.

PRocurator & Sacrista à Diffinitorio, & à Prouinciali eligãtur. *Cõstitutio*

¶ Procuratoris officiũ est bona omnia ad Conuentum pertinentia solicitè procurare, redditus domus colligere, & de illis secundum Prioris arbitrium Conuentui & Fratribus de necessarijs prouidere, sine cuius licentia vltra valorem libræ expendere etiam in communi cõmodo non liceat Procuratori. Nec debita contrahere vltra valorem trium librarum monetæ communis.

¶ Omnium autem pecuniarum quæ in potestatem eius deuenerint, & expẽsarum reddet rationem singulis hebdomadis, vel quotiens Priori visum fuerit, coram Priore & duobus Depositarijs, qui eligentur à Sacerdotibus singulis triẽnijs in Capitulo per vota publica, vt huiusmodi

rationē à Procuratore & Sacrista accipiant. ¶ Et quicquid recipitur, vel expenditur, lucidè atque distinctè in libro Cōuentus describant: & vt Cōuentus pecunias, scripturas & priuilegia seruent. ¶ Cuius rei gratia in quouis Conuentu erit arca, vel capsa satis firma & capax, quæ tribus clauibus claudetur: quarum vnam habebit Prior, alias duas duo Depositarij; qui omnes simul cōueniant, quoties aliquarum expensarum erit ratio reddenda à quocūque; & quoties in prædictam arcam aliquid erit inferendum, vel inde extrahendum.

¶ Pertinet etiam ad Procuratorem famulos domus, maximè infirmos visitare, quid Conuētui in Refectorio, quid mensæ hospitū, quid necessitati infirmorum expediat, solicitè & diligenter inquirere, & in quantum facultas domus patitur, de consensu Prioris prouidere, ne quātum in eo fuerit, Fratres, siue sani, siue infirmi fuerint, graue incommodum patiantur.

Tempore silentij debitis horis cum Infirmario, Coquinario, Cellario, cum conuersis & famulis domus loqui poterit, de ijs quæ tunc necessaria fuerint: discretè tamen, ne concessa sibi facultate videatur abuti.

Deposita aliqua cuiuscumque personę Prior, vel Procurator, vel Fratres recipere, vel seruare nullo modo præsumant, nisi de consensu & vo-

luntate

Iuntare Prioris & ſanioris partis Capituli;& ſi aliqua recepta fuerint, in prædicta arca ſeruanda ponantur;quæ Prior ipſe,vel Cõuentus ſub prętextu aliquo obligare alicui,vel ꝺ eis aliquid expendere,nullo modo præſumant.

¶ Inhibemus autem diſtrictè, ne quis Frater noſtri Ordinis alicuius Prælati,aut domini temporalis,aut communi tatis cuiuſcumque efficiatur Procurator, Capellanus, aut Officialis quicũque,quantũcumque importunè petatur; & ne quis huiuſmodi officia acceptet,vel procuret ſibi, aut alteri Fratri: qui contra fecerit, pœnæ grauioris culpæ per menſem debeat ſubiacere.

¶ Item præcipimus vt in omni Cõuentu Prouinciæ,ad exigendos redditus Conuentus,& ad alia negotia quæ per Laicum confici poterunt, conſtituatur Procurator ſecularis vbi commodè fieri poſsit,vt tot egreſſus & diſcurſus Procuratoris Religioſi euitetur;quibus non poteſt nõ diſtrahi animus. Et ipſe Procurator Religioſus, dum eſt in Monaſterio non legitimè præpeditus,non deſit Choro & Refectorio cum Conuẽtu. Procurator autem coquinarius, vel popinarius habens coquum, ad omnes horas Canonicas exeat,excepta Prima,Nona,& Matutino;niſi de licentia ſpeciali Prioris, cum rationabili cauſſa.

DE SACRISTA.

¶ Sacristæ officium est ornamenta Ecclesiæ custodire, solicitam curam agere eorum quæ ad cultum Diuinum pertinent in Ecclesia, cùm totus Conuentus in prædictis ad manus eius prospiciat & attendat oblationes verò fidelium quę deferuntur ad Altaria, vel dantur in eleemosynā, ad manus eius veniant; quas custodiet, & poterit pro vtilitate Sacristiæ aliqua expendere, secundum Prioris voluntatem: de quo introitu & exitu sicut Procurator suis temporibus reddet rationem. ¶ Missæ autem celebrabūtur pro omnibus benefactoribus qui eleemosynas pro Missis celebrandis dederunt, seruata tamen deuotione offerentium, quòd Missa sit de aliquo sancto, vel tali festiuitate: ita tamen vt pro vnaquaque Missa celebrata ea eleemosyna dumtaxat è capsula extrahatur, quæ taxata est pro vnaquaque Missa celebranda: quod sæpiùs aduertat Prior in Capitulo, & Sacrista in sua Sacristia; ita tamē vt Capsula hæc in qua seruabitur pecunia ex Missarū eleemosyna proueniens, ponatur in arca, vel capsa depositi, cuius clauem habeat Sacrista: & tātum pecuniæ inde extrahetur, quantum Missarū celebratarum eleemosyna exegerit.

Additio.

¶ In Sacristia & in Ecclesia silentium seruari faciat; Altaria vt muuda sint, & bene ac decenter ornata, procuret; & erga omnes qui Ecclesiam adeunt,

deunt, mitem, benignum, & religiosum cũ grauitate, honestate, ac vultus hilaritate se præbeat.

Additio.

¶ Quicumque eleemosynam aliquã pro Missa, vel Missis dicendis acceperit ab aliquo; præcipimus in virtute sanctæ obediẽtiæ, vt intra viginti quatuor horarum spatium postquam acceperit, si in Conuentu adest; vel si absens fuerit, postquam Monasterium peruenerit, teneatur eã Priori, vel Sacristæ integraliter resignare. Qui contra facere præsumpserit, transacto prædicto spatio 24. horarum, vinculo excommunicationis innodetur; & quinque diebus in terra sedens in pane & aqua ieiunet, & eisdem diebus recipiat disciplinam.

CAP. XXIX.

Quomodo eligetur Discretus, & Vicarius, cùm ad Prouinciale Capitulum itur.

Cõstitutio

IN illis Conuentibus qui habent Subpriorem, cùm itur ad Prouinciale Capitulum, eligetur Discretus, qui erit semper Sacerdos, & qui ad minus vigesimum quintũ ætatis compleuerit annum; aliàs facta electio sit nullius valoris. Eligetur autem per vota secreta, vt cap. 26. dictum est.

¶ Eius officium est statum Conuentus, & singulorum Fratrum explorare, & illius augmentũ tam in redditibus, quàm in ædificijs, vel ornamẽtis Ecclesiæ probè cognoscere, vt de omnibus ad suum Monasterium pertinentibus possit Prouincialem & Diffinitores informare: vnde curabit diligenter Conuentus, vt de grauioribus & prudentioribus Fratribus eligatur discretus: ne si cõtra factum fuerit, & Conuentus auctoritas minuatur, & Discreto in suis informationibus fides certa non adhibeatur.

¶ In Conuentibus verò non habẽtibus Subpriorem, eligetur simili modo Vicarius, cuius auctoritas postquam Prior à domo recesserit, per omnia erit sicut Subprioris in absentia Prioris.

¶ Facta verò electione, vnus ex scrutatoribus surgat, & stans in medio Capituli dicat: Ego Frater N. nomine meo, & eorum omnium ad quos spectat electio Vicarij, vel Discreti, eligo Fratrem. N. in Vicarium huius Conuentus, vel Fratrem. N. in Discretum ad Capitulum Prouinciale huius prouinciæ tali die celebrandum. Quòd si tũc facienda fuerit electio Prioris, & alter scrutatorum electus fuerit in Discretum, eligatur alius scrutator de nouo.

CAP. XXX.

De electione Prioris Conuentualis.

QVotieſcunque Prioratus vacauerit, vel quia triennium completum eſt, ſiue per mortem, ſiue per depoſitionē Prioris, vel quomodocūque; Conuentus dicta Miſſa de Spiritu ſancto, congregatus in Capitulo, procedat ad electionem Prioris, modo in cap. 26. perſcripto. ¶ Prior autē cuius officium vacat, non poterit eligi immediatè proſequenti triennio in eodē Conuentu. Nec eligatur in Priorem Monaſterij, Priore carente, alterius Conuentus Prior; niſi ad finem triennij Prioratus quem adminiſtrat, quoq; peruenerit; vel iam declinare intelligatur. *Cōſtitutio* *Additio.*

¶ Eligēt verò tres: Primum in prima voce, & donec hæc electio primi fuerit facta canonicè, non procedant ad eligendum in ſecunda voce. Poſtquam verò facta fuerit, vnus ſcrutatorū publicè dicat: Frater. N. per tot voces eſt electus in prima voce; ne ignorantes, eundem eligant in ſecūda, vel tertia voce: & ſimiliter fiat electio in ſecunda & tertia voce.

¶ Eligentur verò ij tres, vt ſi de primo nō poterit Conuentui prouideri, propter aliquod legitimum impedimentum, vel quia ad aliud Monaſterium dignius eſt neceſſarius, vel quia inſtantiſsimè & humiliter renuit fieri Prælatus; prouideatur Conuentui de ſecundo. Quòd ſi eadem

impedimenta obtulerint se circa secundum, prouideatur de tertio. Quòd si de nullo illorum poterit Conuentui prouideri, à Prouinciali, & Diffinitoribus assignentur tres: quorum vnum teneantur eligere in Priorem. Sic electum Prouincialis, & Diffinitores confirmabunt: & mandabunt eidem, vt obediens consentiat huiusmodi electioni de se factæ.

Ex breui missso patri Reformatori.

Additio.

¶ Quæcumq; autē promotio Prioris aliter facta fuerit, ipso facto irrita sit, & nullius effectus.

¶ Quomodo autē sit facta hæc electio, & quot voces (non quales, nec qui illi sua obtulerint suffragia) quisq; habuerit ad suam electionē, scrutatores, & Subprior, vel Vicarius diligenter & fideliter scribāt, & manibus proprijs subscriptū, & sigillo Cōuentus signatū, mittant ad Prouincialē.

¶ Quòd si quis aliquid operatus fuerit, propter quod huiusmodi electio, prout facta est, nihilo addito vel diminuto ad Prouintialem non perueniat, per annum voce careat, & per duos menses subiaceat pœnæ grauioris culpæ.

Ad officium Prioratus, nemo assumi possit, nisi qui communitatem Chori, & Refectorij cū Conuentu iuxta has Constitutiones sequi possit. Et præterea si Concionator sit, tantum concionibus incumbet, vt tempus semper suppetat ad exequenda prædicta. Qui contra fecerit, ab officio Prioratus deponatur.

CAP. XXXI.

De officio Prioris, & pro quibus casibus absoluatur.

PRiori tamquam patri, omnes Fratres sui Conuentus cum deuotione & reuerentia (saluis mandatis maiorum) obediant. ¶ Ad eius autem officium pertinet, subditis spiritualia & temporalia ministrare, & ex eis delinquentes secundùm statuta ordinis corrigere, & à sententia excommunicationis à se latæ, vel ex leui iniectione manuum subditorum suorum proueniente, absoluere; sed ab irregularitate absoluendi auctoritatem non habeat. ¶ Irregularem subditum suum ministrare in sacris ordinibus non permittat, nec ipsum in suum Vicarium relinquat; nec eum ad ordinem promoueri faciat. Nam talibus nõ solùm ministratio est inhibita, verùm etiam cuiuslibet dignitatis est electio, seu promotio interdicta. *Cõstitutio*

¶ Præterea potest ipse Prior apostatam suum à die commissæ apostasiæ, salua Ordinis disciplina, vsque ad mensem recipere, & cum Fratribus in silentio dispensare; si quando suæ discretioni videbitur. ¶ Non poterit autem introducere aliquam nouam, aut particularem consuetudinẽ, vel ceremoniam in suo Conuentu, sine consilio & assensu Prouincialis & Diffinitorum. *Additio.*

Prior

¶ Prior quoque cui cura animarum subditorum suorum ab Ordine est cõmissa, & pro quibus Deo debet reddere rationem; suos subditos ad humilitatem, obediẽtiam, castitatem, & proprij abdicationem firmiter seruanda hortetur & moneat. Et ita in sua administratione, & cultu diuini officij, & obseruatione bonæ vitæ & famæ, interiùs & exteriùs, per se & suos Fratres vigilet, & insistat, vt Deo qui corde & ore colitur, talẽ administrationem acceptam & gratam exhibeat & ex ea Ordini Fidelium deuotio plus accrescat.

¶ Ad horas Canonicas attẽtè & deuotè persoluendas in Choro, & extra Fratres solicitè & diligenter admoneat.

Additio. ¶ Prior qui non fuerit Prædicator, omnibus horis Diuini officij saltem diurnis aderit, nisi fuerit communi negotio occupatus. Qui verò fuerit Prædicator, nisi cùm in Quadragesima frequenter prædicat, quotidie ibit ad aliquam horam, vel aliquas, non semper ad eandem: vt meliùs posit cognoscere qualiter Diuinum officiũ per omnes horas dicatur: & qui desunt Officio.

Cõstitutio ¶ In loco quantum potest assiduus sit, & ad illud idem cogat Fratres suos: cùm Ordo ex nimio discursu apud Clerum & populum incurrat infamiam non modicam.

¶ Præterea suos subditos sæpe moneat vt per locum & extra locum religiosè & deuotè incedant,

dant,& cum omnibus,maximè cum Clericis secularibus & Religiosis alterius Professionis humiliter & deuotè loquantur. Et ipsis Clericis & Religiosis honorem & reuerentiam (cùm casus se obtulerit) decenter exhibeant.

¶ Episcopos prætereà & alios Ecclesiæ Prælatos Prior & Fratres vbique honorent, & cum ipsis humiliter & pacificè vbique conuersentur, & viuant honestè, & ipsis obsequantur in quantum honestas & dignitas, atque priuilegia nostræ Religionis (in quorum præiudicium nihil fieri volumus)permittant.

Hos Prior Prouincialis & localis,atq; digniores & grauiores Ordinis Fratres personaliter visitent, quatenus deuoti ad Ordinem ex hoc deuotiores reddantur.

¶ Prior prætereà officinas omnes sui Conuentus personaliter visitet, & in eis negligenter, vel indecenter se habentes corripiat,vel puniat. Vtilitatem & commoditatem loci sic prouidè procuret & quęrat,vt in Fabrica Ecclesię,& domus promotione; sua solicitudo deuota, & fidelitas nota fiat. Et ad Capitulũ Prouinciale quicquid in Fabrica Ecclesiæ, ac domus ędificijs, vel in ampliatione situs expẽderit,Discretus ferat per Depositarios,ipsumq; Discretum scriptum, & singulorum nominibus subscriptum,vt infructuosæ arbores & terram inutiliter occupantes succidantur;

cidantur; fructuosę verò & vtiles cultura debita venerentur.

¶ Extra ipsum locum Prior vltra tres dies sine magna & euidenti necessitate non stet. Si autem pro necessitate loci quandoq; fortè aliter expediat, vel sibi accidens, & quasi ineuitabilis necessitas immineret: id de licētia Prouincialis, vel saltem Visitatoris, absente à visitatione Prouinciali, faciat. Prior qui cōtra fecerit à Prouinciali tres dies sine dispensatione in pane & aqua ieiunare cogatur. Qui verò ex consuetudine huius mandati transgressor extiterit; nisi suos discursus moderauerit, ad Prioratus officium tamquam leuis & inconstans eligi non possit.

¶ Vicarius verò qui ab eo in loco relinquitur, locum non exeat, cùm Vicarium relinquere non possit. Subprior tamen, qui per diffinitorium factus est, Vicarium relinquere potest. ¶ Si autem aliquando per obliuionem Vicarium in domo relinqui omittatur, ille alijs præsit sacerdos, qui prior ad Ordinem venit, & pluribus annis in Ordine permansit. Et idem obseruetur in Fratribus alijs vbi sacerdos non fuerit, dummodo non sit voce actiua, & passiua, aut sua antiquitate priuatus, vel suspensus, aut irregularis.

Additio. ¶ De bonis pertinentibus ad Conuentum, seu eleemosynis Prior non recipiat, nec apud se retineat; sed si quando ipsum à persona aliqua quic-

quam

quam recipere contingat, quod inuitus debet, illud statim vel in d͞posito reponat, vel vni ex Depositarijs, aut Procuratori tradat, & in libro Cōuentus lucidè scribatur nomē & cognomen personæ dātis & caussa ob quā dedit. ¶ Si quis autē Prior cōtra fecerit, pecunias Cōuentus recipiēs, vel expendens, officio deponatur, & sit inhabilis per triennium ad omne officium cum cura animarum. Simili pœna puniatur si debita magna sine Conuētus cōsensu contraxerit, aut expensas magnas, siue in ædificijs, siue in alijs rebus, sine consensu simili Conuentus fecerit.

¶ Aedificia Conuentus nulla faciat, nisi de cōsilio Magistrorū habentium experientiā artis, & de consilio maioris & sanioris partis Cōuentus; ac tādem de cōsensu Prouincialis. Qui cōtra fecerit & ab officio deponatur, & inhabilis p̱ bieniū ad omne officiū cum cura animarum remaneat.

¶ Tēpore præfixo & ordinato ad Capitulum prouinciale ibit, nisi legitimā habēs caussam manendi, à Prouinciali licentiam obtinuerit nō eundi; quam Prouincialis rarò & cum magna difficultate concedet. Contra faciens ab officio deponatur.

Rursus etiam nullus Prior inuitus absolui debeat, nisi in casibus expressis in Constitutionibus nostris, & in alijs qui sequuntur.

Scilicet, si infirmos sui Cōuentus sæpe nō visitauerit

tauerit, & si eos diligenter cura Medici & Medicinæ curari nõ fecerit; & eis de Infirmario & necessarijs non prouiderit.

Si ex consuetudine Diuino officio non interest, cùm non sit manifestè occupatus alijs negotijs ad Ordinem, vel Conuentum pertinentibus.

Si raro celebrat.

Si Fratribus ex consuetudine minatur, & verba eis contumeliosa & opprobriosa dicit.

Si subditum suum, vel sine licentia Prouincialis, vel insufficientem, aut sine legitima ætate ad Ordinem promoueri fecit.

Si Constitutiones nostras in Capitulo & Refectorio frequenter non legit: si eas quasi negligit, & non seruat, aut seruari non facit.

Si de nocte colloquijs inutilibus ex consuetudine vacat.

Si scissuram, vel aliquid aliud committit, propter quod pax sui Conuentus, aut Ordinis probabiliter timeatur quòd turbari possit.

Si per se, vel per alium procurat vt ad aliquem Prioratum eligatur, in quo casu priuetur Prioratu in quo est, & ad aliud quodcunque officium cum cura animarum ineligibilis per trienniũ remanebit.

Si inter seculares est infamis, licet per Fratres probari non possit.

Si communem vitam cibi & potus cum Cõ-

uentu non tenuerit. Seu dona ab aliquo ſubdito ſuo, præter commeſtibilia receperit.

Si probabiliter inueniatur quòd alicui habenti vocem in aliqua electione ſuaſit, vt vocem ſuam huic, vel illi det.

Si commiſerit probabiliter propter quòd pœnæ grauioris culpæ ſubiacere debeat.

Si ſubditum ſuum de manifeſto exceſſu ſecundum Ordinis ſtatuta, non correxerit. Exceſſum autem manifeſtum intelligimus, qui per tres, vel duos ſaltem Fratres bonæ vitæ & opinionis probari poteſt.

Si de aliquo peccato mortali manifeſto confeſſus fuerit, vel conuictus; aut ſi tam infirma valetudine laborat, quòd domus curam gerere non poteſt, & ex eo Conuentus grauem iacturam patitur.

¶ Quia tremendum eſt & periculoſum in ſententiam excommunicationis prorumpere, diſtrictè præcipimus & mandamus omnibus conuentualibus Prioribus, Subprioribus, & Vicarijs, quòd pro nulla interueniente cauſſa, irrequiſito Prouinciali, ſeu Viſitatore (abſente à viſitatione Prouinciali) in ſententiam excommunicationis prorumpant: ſed rebus omnibus ſuperiori expoſitis, & de ferenda ſententia licentia petita, & obtenta, poterunt eam ferre. Quam cum tremore non modico debẽt trina admonitione præmiſſa,

in ſcriptis pronunciare. Quòd ſi contra quiſpiã fecerit,& ſententiã aut ſine ſcriptis, aut ſine monitione protulerit, ipſo facto à miniſtratione ſui offici ſit priuatus. Et Subprior, vel antiquior ſacerdos Conuentum regat, donec per Prouincialem, vel Viſitatorem fuerit in hac re prouiſum; & per menſem ſecundis & quartis ferijs in pane & aqua ieiunet.

¶ Igitur cùm huiuſmodi ſententiæ multiformiter contineant pericula animarum, Prouincialis Prior, vel Viſitator, de quorum auctoritate ferri debet, ad huiuſmodi licentiam concedendam, quaſi inuiti, & cum multa maturitate, & prouidentia, inclinentur.

¶ Modus autem ferendæ ſententiæ, pro quibuſdam in talibus fortè rudibus, talis erit: ¶ Ego Frater. N. Ordinis erem. ſancti patris noſtri Auguſtini Prior talis domus, in tali ciuitate; te Frater. N. mihi ſubditum rogo, hortor, & moneo primò, ſecũdò, & tertiò; & tibi in virtute ſancti Spiritus ſtrictè præcipio, & mãdo per obedientiam ſalutarem; quatenus remotis odio, timore, & amore, precio, & precibus quicquid ſcis de tali facto, corã me & fratibus. N. &. N. dicas hodie per totam diem, quam tibi pro peremptorio termino aſsignamus. Quòd ſi hoc preſens mandatum noſtrum non adimpleueris, ſeu cõtempſeris obſeruare ex nunc pro ex tunc, trina canonica mo-

nitione præmiſſa, in his ſcriptis vinculo excommunicationis, licet inuiti, innodamus. Lecta & lata hæc ſentētia in tali monaſterio talis Prouinciæ, anno &c.

¶ Præcipimus etiam, atque ſtrictè mādamus, omnibus Prioribus localibus, vt literas ſibi à Fratribus oſtenſas ita perlegant, vt ex eis cognoſcāt mentem, & intentionē ſcribentis, grauibus perſonis exceptis, de quibus nulla poſsit haberi ſuſpitio.

¶ Si quis autem Prior literas ſibi oſtenſas ſolitus fuerit non legere, ab officio deponatur.

CAP. XXXII.

De modo celebrationis Capituli Prouincialis, & de electione Prouincialis, & Diffinitorum.

CAPITVLVM Prouinciale tertio quoque anno in noſtra Prouincia celebretur, niſi fortè propter mortem, aut abſolutionem Prouincialis hoc tempus debeat præueniri; & tunc fiet iuxta diffinitum capit. ſequent. *Cōſtitutio moderata.*

¶ Peracto igitur triennio, feria ſexta ante quartam Dominicam poſt Paſcha, omnes Priores, &

discreti, atque Diffinitores præcedentis Capituli, ante prandium conuenient in Monasterio, in quo Capitulum est celebrandum. Nullus autem hunc diem præuenire, vel differre præsumat.
¶ Ante omnes verò aliquot diebus Prouincialis veniat ad locum Capituli celebrandi, nisi tam graui & molesta præmatur infirmitate, vt sine euidenti salutis periculo nõ possit venire. In quo casu mittet sigillum sui officij. Quòd si nõ venerit, vel sigillum non miserit, per decennium ad omne officium cum cura animarum sit ineligibilis. ¶ Conuenientibus igitur Fratribus ad Capitulum, eadem sexta feria post Completorium præsententur, aperiantur, & legantur literæ, si quæ sunt aut summi Pont. aut Reuerendissimi patris nostri Generalis. Quòd si quis transacta hac die voluerit præsentare & legere huiusmodi literas, nõ annuatur ei, sed neque aperiãtur quousque Fratres ad propria loca fuerint profecti.
¶ Declaretur etiam ibi quisnam futurus sit Vicarius generalis: qui nisi à Reuerendissimo Patre Generali aliter fuerit prouisum, semper erit Diffinitor antiquior præcedentis Capituli; qui ex tũc in dicto Capitulo teneat locum eius. Et statim Prior Prouincialis renunciet officium suum flexis genibus coram Vicario generali; & eidem humiliter sigillum resignet. ¶ Sequenti die post Primam dictam, celebretur solemniter Missa de Spiritu

ritu sancto, cui intererũt omnes Capitulares. Ea finita, facto signo ad Capitulum, conueniant omnes. Inuocatoq́; ibi Spiritu sancto per hymnũ: Veni creator Spiritus, dicant duo cantores versus. Emitte spiritum tuum. &c. ℟. Et renouabis. &c. & Prior loci vbi capitulum celebratur. Domine exaudi orationẽ. &c. ℟. Et clamor. &c. Dominus vobiscum. &c. ℟. Et cum spiritu tuo. Oremus. Deus qui corda fideliũ. &c. Actiones nostras quæsumus domine. &c.

¶ Post hæc consedentibus omnibus. Vicario generali primum, & Priore Prouinciali iuxta eum, deinde Deffinitoribus hinc & inde, dicat Vicarius Generalis: Adiutorium nostrum. &c. ℟. Qui fecit. &c. Deinde, Benedicite. ℟. Dominus. Posteà: Dominus nos benedicat, &c. Et tũc fiat sermo latinè. Deinde fiant commemorationes benefactorum Ordinis, & subiungatur psalmum. Ad te leuaui, &c. Vt in fine Primæ, posteà Fratrum defunctorum, & dicatur: De profundis, cum oratione: Absolue quæsumus, &c. ¶ Egredianturq́; tunc omnes qui non sunt de corpore Capituli: & eligantur per Priores & Discretos tres vocum scrutatores, & posteà Prouincialis, modo in cap. 26. præscripto. Non poterit autem aliquis in Prouincialem, nisi sit de corpore Capituli, & facta electione, vnus scrutatorum in medio Capituli pronunciet eam, vt dictum est de

electione Discreti, cap. 29.

¶ Electione facta ad Ecclesiam processionaliter ibunt, cantantes: Te deum laudamus: & Prouincialis prosternat se sicut cùm nouitius profitetur, & Vicarius generalis, dictis orationibus, de Spiritu sancto, de beata Virgine, & de sancto patre nostro Augustino; faciat eum surgere & sedere: atque omnes Fratres sigillatim coram illo flectent genua, obedientiam illi profitentes, & manus eius osculantes.

¶ In Prouincialem verò talis eligatur, qui nũquam apostatauerit, nec fuerit de aliquo vitio notabili in Ordine cõuictus, vel confessus; & qui sciat distinctè loqui latinum sermonem. Quòd si secus fuerit factum, ipso facto electionem huiusmodi, vel promotionem totis viribus euacuamus. Si autem in iuuentute, non propter scandalum alicuius delicti commissi, sed ex animi leuitate, quis ordinem exiuerit & reuersus quasi statim ad Ordinem in eo semper laudabiliter vixerit possit cum tali fratre Prouinciale Capitulum dispensare: vt ad omnes indifferenter obedientias ordinis (si aliâs sufficiẽs & idoneus fuerit) admittatur.

¶ Si verò quocumque modo bis apostatauerit ad prædictũ officium Prouincialatus ineligibilis sine dispensatione aliqua perpetuò permanebit.

¶ Postmodum reuertantur ad Capitulum & proce-

procedatur ad electionẽ Diffinitorum, qui erũt quatuor de corpore Capituli. Qui ſimul cum Vicario Generali, & Prouinciali, de omni ſtatu Prouinciæ, & Monaſteriorum, ac Prælatorum, & officialium conſultabunt. Eaq; ſtatuent, quæ ſecundùm temporum & perſonarum qualitatem, viſa fuerint conuenire: vt Religionis ſanctitas cõſeruetur, & augeatur. Quæ ſi per duo ſequentia Capitula confirmata fuerint, vim habebunt Cõſtitutionum. ¶ Non tamen licebit illis ſtatuere aliquid contra has noſtras Conſtitutiones. Volumus enim vt ſemper inuiolabiliter obſeruentur.

¶ Deinde poſt prandiũ eiuſdem Sabbathi Diſcreti omnes literas à ſuis Conuẽtibus, quas tulerunt; vel negotia Vicario generali, Prouinciali, & Diffinitoribus aſsignent. ¶ Et poſt Veſperas, cùm videbitur Vicario generali, teneat Capitulum de culpis: in quo primus omniũ Frater qui ceſsit in Prouincialatu, dicat ſuam culpam; deinde cæteri ſuo ordine, ſicut diffinitum eſt cap. 3. Quo finito poſteà tam ſuper culpis, quàm ſuper literis & negotijs porrectis, & alijs omnibus, quę propoſita fuerint Prouincialis & Diffinitores ipſi cum Vicario deliberent atque definiant quicquid ſecundum Deum, ſeruata forma Regulæ & Conſtitutionum, ad bonum ſtatum Ordinis viderint expedere. ¶ Et prouidebunt Conuẽtibus de Prædicatoribus, lectoribus Artium, &

Theologiæ,& casuum conscientiæ,atque Grammaticæ. Et de Magistris nouitiorum ex tota Prouincia pro domibus, in quibus nouitij recipiuntur. ¶ Atque eligent Visitatores tres, & examinatores tres in quacunque visitatione Prædicatorum, & confessorum exeuntiũ à studio Theologiæ. Similiter prouidebunt Prouinciali de socio, quem sine Diffinitorum assensu relinquere, vel mutare non poterit.

Additio. ¶ Vt autem hæc omnia rectiùs exequi valeãt. Prouincialis qui præcessit informabit ipsos per scriptum, qui Fratres de Prouincia sint incarcerati, qui infames de aliquo delicto, qui irregulares & inhabiles; & similiter qui sint, quos bona vita & opinio commendent. Super qua re non tantùm Prouincialis, sed aliorum etiam Fratrum grauium religiosorumq; sententiã exquirent.

Non poterunt autẽ Vicarius generalis & Prouincialis, atque Diffinitores vltra communẽ collectam, aliquam nouam imponere, sine consensu maioris partis Capituli. Declarabunt etiã quo loco sequens Capitulum sit celebrandum: quem locũ mutare nõ poterit Prouincialis, sine magna & euidenti causa, atq; de consensu Diffinitorũ.

Ex bulla. ¶ Domum aliquam de nouo suscipere, uel suscetam, deserere non poterit Prouincialis, sine consensu Diffinitorum. Nullam auem domum aut de nouo suscipiant, aut susceptam retineant

tineant;in qua non posint sustentari duodecim Fratres,vel saltim sit spes probabilis quòd id post aliquod breue temporis spatiũ fieri poterit. Caueant autem ne vllum locum intra mensuram canarum iuxta monasteria Prædicatorum, vel Minorum suscipiant.

¶Nihil præterea poterit præcipere Prouincialis toti Prouinciæ in virtute sanctæ obedientiæ, aut sub pœna excommunicationis, nisi de consilio & assensu Diffinitorum.In omnibus autem in quibus Prouincialis, Vicarius generalis,& Diffinitores discordauerint, maior pars præualebit. *Additiones.*

¶Statuimus etiam vt Prouincialis,cùm sui muneris sit rationem redditurus,nõ posit eligi Diffinitor,nec Prior in sequenti triennio:vt liberiùs, & præstantiùs, si quæ commiserit, excutiantur. Quòd si tam laudabiliter sanctéq; munus suum obierit, poterit statim eligi in Priorem pro vtilitate Prouinciæ.

¶In Capitulo Prouinciali tantùm Prouincialis,& Diffinitores eligantur . Priores verò, iuxta tẽpus quo prefuerint Conuentui,expleto triennio, vacent; at tunc fiet electio in Conuentu, & ad Prouincialem transmittatur.

¶Et postquam omnia decreta & scripta fuerint,coràm omnibus Fratribus legantur, & quilibet Discretus in libro,quem quisque à suo Cõuentu portabit,omnia scribat, & subscribantur

per Vicarium generalem, Prouincialem, & Diffi nitores. Et posteà ad sua Monasteria recto itinere redeant.

¶ Qui desinit esse Prouincialis, non possit nisi post duo triennia iterum in Prouincialem assumi: similiter & Diffinitores per vnum trienniũ.

C A P. XXXIII.

De officio Prouincialis, & pro quibus casibus absoluatur.

Cõstitutio moderata

PRouincialis de cuius fidelitate & prudẽtia Ordo cõfissus, administrationem & regimen Prouinciȩ ei cõmisit. Super omnia sibi subditos bono ac sancto exemplo, & verbis salutaribus obsecrando, monẽdo, arguendo, increpãdo, pijs & religiosis moribus curabit instituere: tamquã Deo pro illis redditurus rationem. Deinde verò ad augmentum suæ Prouinciæ, & locorum promotionem sollicitè & attentè vigilare debet, & ad hoc pro posse laborare, & Priores ac alios Fratres ad id inducere incessanter.

¶ Ei igitur (saluo maioris prȩcepto) omnes Fratres Prouinciæ tamquam patri & pastori obediant, subiectionemq; & reuerentiam vbique lo

corum

corum exhibeant. Ad officium eius pertinet loca Prouinciæ viſitare, ſaltem ſemel in anno, & vltra etiam quando illi videbitur expedire, & in eis corrigere & reformare quę ſecũdùm ſtatuta Ordinis & Regularem obſeruantiam cognouerit corrigenda.

¶ Caueat autem ne in aliquo loco nimis aſsiduus ſit, ne tędio & frequentia Fratrum ad illum recurrentium efficiatur Conuentui oneroſus.

¶ Ingreſſus autem ni Monaſterium, in hoſpitio, vel cella recipiatur, in qua nihil ſit curioſum, aut nimis delicatum, nec quicquã in parietibus ſuſpendatur: ſed tantùm prouideatur ei de lecto bono, vt paululum requieſcat ab itineris laboribus, & de menſa, & de ſellis; quibus & ipſe, & qui cum eo loquũtur ſedere poſsint; & de aliqua capſa, ſiue armario, vbi poſsit ſub debita clauſura ſeruare quę ſecum deffert ad Ordinem, & ad Fratres pertinentia. Omnia autem paupertati, & ſimplicitati noſtri ſtatus congruant. *Additio.*

¶ Non licebit illi prandere, cœnare, aut collationem ſumere cum Priore aut aliquo Fratrum de Conuentu, niſi fortè eo ipſo die, quo domum intrat: nam cum eorũ mores examinare & corrigere tanquam iudex & prælatus veniat; ratio ſui officij poſtulat, vt ab huiuſmodi nimia familiaritate caueat. Viſitatione autem facta, poterit cum Priore, vel alijs Fratibus rarò in cella comedere,

vel cœnare.

¶ Præter primum diem, quo in Conuentũ venerit, non licebit illi quicquam apponere vltra pitantiam Conuentus, præter fructus, & aliquid assi in principio. Diebus autem festis licebit aliquid aliud addere in fine. Transactis autẽ tribus diebus, quãtum poterit procurabit, vt saltem ad prandium reficiatur in refectorio. Quòd si fortè vel ratione occupationũ, vel propter tędium negotiorum voluerit in cella edere, licebit quidem illi in ea manere, & ibi refici cum suo socio.

Diligenter examinet, dum Conuentum visitat, an Prior circa votorum custodiam, & nostrarũ Constitutionum obseruantium, diligenter inuigilet. Quòd si inuenerit vel ipsum non seruare nostri Ordinis instituta, vel parui & quasi nihil curare, quòd ab alijs nõ seruentur; ipsum ab officio absoluat. Si verò nõ tam grauis fuerit culpa, vt depositione sit digna: nempe quia non est ex enumeratis cap.31. secundũ quantitatem, & qualitatem culpæ, corripiat & puniat; vt discretioni suæ videbitur expedire.

¶ Pertinet etiam ad eius officium, Priores confirmare, & alios officiales.

¶ Apostatas suæ Prouinciæ poterit recipere quocũque tempore ad Ordinem redierint, vsq; ad tertiam apostasiam. Quòd si vltra ter apostatauerint, nõ poterit eos recipere. Nullum Fratrẽ alterius

alterius Prouinciæ recipiat ſine licentia Generalis, vel de conſenſu Prouincialis illius Prouinciæ de qua eſt talis Frater.

¶ Quotieſcunque contigerit Fratrem alterius Prouinciæ ad noſtram venire, literis teſtimonialibus ſui Prouincialis commendatum, vel Reuerendiſsimi patris Generalis, vt ad iſtã Prouinciã transferatur pro libito ſuo. Tunc Prouincialis requiret ab eo, num velit Proninciæ noſtræ incorporari. Qui poſtquam incorporatus fuerit, tradat licentiam, quã in ſcriptis habebat, Prouinciali, vt eam obliteret, cùm amplius ei vſui eſſe non debeat: ac deinde maneat in Prouincia. Quòd ſi noluerit incorporari, aſsignetur ei certum tẽpus diſcedendi. Quòd ſi huc & illuc per Prouinciam vagetur, incarceretur tamquam vagus, & debitè puniatur, & remittatur.

Munera etiam oblata, præter commeſtibilia, à nullo Fratrum recipiat: nec à ſeculari intuitu Fratris alicuius, nec per ſe, nec per alium. Locũ proprium non habebit; nec conuentualis & prouincialis Prior in eadem cella ſimul habitabunt. Veniendi ad Capitulum Prouinciale nulli Fratri licentiam concedet, niſi propter magnam & manifeſtã neceſsitatem, vel Prouinciæ, vel Conuentus alicuius, vel ſaltẽ Fratris ipſius, aut alterius.

Conſtitutiones ſemper ſecum ſerat, & eas continuè legat: niſi enim hoc fecerit, legem quam nõ

didicit

didicit, non poterit alios ſine errore docere.

Additiones. ¶ Ne verò quaſi ſtatim nõ redditurus rationẽ, in adminiſtratione ſui officij aliter quàm oportet ſe gerat, ad Diffinitores pertinebit, vt ſollicitè inquirant de vita, moribus, & viſitatione Prouincialis; liceat autem cuique Fratrum, qui iniuriã à Prouinciali acceperit, vel ſcit illum nõ ſe habere fideliter & iuſtè in commiſſo ſibi munere, ipſum apud Diffinitores accuſare, vel de illo conqueri, qui de hoc ipſo inter ſe per literas ſæpe conſultabunt: & Prouincialem admonebunt, vt corrigatur, ſi fuerit periculum in mora: ſin autem ad Capitulum defferant, vt debitas pœnas luat.

¶ Si verò (quod Deus auertat) inuenerint quòd Cõſtitutiones, & laudabiles ordinationes noſtri Ordinis, quaſi eas contemnendo, non ſeruat; nec eas facit per loca Prouinciæ legi & obſeruari, aut fortè turpibus lucris, & illicitis quæſtibus intendit; aut in Ordine, vel Prouincia ſchiſmata nutrit: aut per ſe, vel per alium arte, vel ingenio aliquo operatur, vt in ipſo Prouincialatus officio manere poſsit: vel ſi probatos, aut manifeſtos exceſſus alicuius Fratris, vel Fratrum ſecundũ ſtatuta Ordinis non correxerit: vel aliquem Fratrẽ de aliquo vicio infamatum, & quaſi publica laborantem infamia, in Priorem alicuius Conuentus confirmauerit. Aut de quocunque peccato mortali contra aliquod trium votorũ fuerit con-

uictus

uictus: aut de nimia familiaritate inhonestæ persone, apud Fratres, vel seculares fuerit infamatus: aut si verba iniuriosa, vel cõtumeliosa dicere Fratribus cõsueuit, aut munera suscipit, & monitus non se correxit, ipsum citent Diffinitores ad aliquod monasterium Prouinciæ. ¶ Quòd si venire renuerit, per censuras cogant venire, & de cõsilio & assensu Diffinitorum, etiã præcedẽtis Capituli ab officio suspendatur, donec Reuerendissimo patri Generali rationem reddãt. Et interim antiquior Diffinitor Prouinciam regat. Data ratione Reuerendissimo patri Generali à Diffinitoribus ipse approbauerit, tunc simul Diffinitores omnes tam præsentis, quàm præcedẽtis triennij eligant canonicè aliquem, qui Prouinciæ presit, quousque tempus Capituli consueti peruenerit. Idem fiet si quando contigerit Prouincialem obire primo, vel secundo anno triennij. Habeant autem se Diffinitores in hoc circunspectissimè, vt omnia prosperum exitum sortiantur, & scandali materia non suscitetur.

¶ Præcipimus autem, vt nemo posthac ad Prouincialatus, atque etiam ad Prioratus munus assumi possit, nisi qui iam ad minus trigesimum egerit annum.

CAP. XXXIIII.

De officio Visitatorum.

In quo-

Cõstitutio Additio.

IN quolibet Capitulo Prouinciali tres Visitatores à Vicario Generali, Prouinciali, & Diffinitoribus creentur. Vnus pro monasterijs regni Valentiæ. Secundus pro monasterijs Aragoniæ: Atque tertius pro Conuentibus Cathaloniæ. ¶ Quorum officium in solius Prouincialis potestate cõsistit. Ita vt absente Prouinciali, à quolibet istorum triũ regnorum, Visitator circa monasteria illius regni, eãdem potestatem habebit, quam Prouincialis. ¶ Et si aliquis casus occurrat, in quo Prouincialis auctoritas requiratur, poterit ipse in illo, secundũ Cõstitutiones, quod discretioni suæ visum fuerit, prouidere. Ita tamẽ quòd limites potestatis sibi traditæ à Prouinciali, non excedat: neque in vllo casu cõtra id quod ei fuerit interdictum, faciat.

¶ Si quando autem Prouincialis, vel propter ægritudinem, vel alio legitimo & euidenti impedimento præpeditus, Prouinciã in aliquo anno visitare non posit, Visitatori committat, vt monasteria suæ visitationis, quæ nondum visitata sunt, visitet. Et peracta visitatione, ipsi de omnibus rationem reddat. ¶ Existente autem Prouinciali in aliquo monasteriorum Visitatoris, nulla erit auctoritas, aut potestas visitationis circa monasteria visitationis, & Fratres in eis existentes.

De cap-

CAP. XXXV.

De Capitulo generali, & obedientia atque reuerentia exhibenda Reuerendiſsimo Priori Generali.

IN Capitulo Prouinciali proximo celebrationi Capituli generalis, vel extra Capitulum, à Prouinciali & Diffinitoribus eligetur Frater religioſus & doctus, qui nomine huius prouinciæ ad Capitulum generale vadat. ¶ Reuerẽdiſsimo autem patri Priori noſtro Generali, ab omnibus Fratribus huius Prouinciæ vbique & in omnibus (ſaluo ſemper mandato Roma. Pont. cui tamquam Chriſti Vicario in omnibus, & ſuper omnes nos velle obedire profitemur) humiliter obediatur. Curabitq; diligenter Prouincialis, vt quotãnis colligatur collecta, quæ ei ad proprias expenſas debetur, & Romam mittatur. Collectam verò non æqualem omnia monaſteria perſoluent, ſed habebitur ratio reddit, tuum & facultatũ cuiuſque Conuentus, & parui numeri monaſteriorum prouinciæ. *Cõſtitutio & Addi.*

¶ Strictè autem præcipimus omnibus huius noſtræ Prouinciæ Conuentibus, vt contribuant certam pecuniæ ſummam, quæ taxabitur in Capitulis Prouincialibus, per Prouincialem & Diffinitores; quam colliget ipſe Prouincialis, ſimul

cum sua collecta quotannis,& eam tradat Capitulo Prouinciali:& per Prouincialem, & Diffinitores applicetur,vno triennio vni Conuentui, altero alteri:atque ita in orbem omnibus Conuentibus triennatim, incipiendo à Cõuentibus ægẽtioribus,vt per eam eorum ædificia reparentur; cùm nulla sese obtulerit ædificandi necessitas, Conuentui tradatur;vt ex ea annua annona frumẽti,vini,& olei,&c.ad sustẽtãdos simul Fratres tẽpore debito ematur.Atq; inter anni tẽpus paulatim,ea pecuniæ portio, quæ ad emendam annonam expẽdenda erat,deposito restituatur: ita vt semper remaneat integra illa pecuniẹ massa in deposito ad eundem effectum. Conuentus autẽ qui hoc non indiget,summam,quæ sic applicabitur,redigat ad redditus annuales.

¶ Strictè autem præcipimus in virtute sancti Spiritus,& salutaris obedientiæ,omnibus Prioribus,vt in nil aliud tales applicationes expendãt. Et Prior qui illam summam necessariam pro annona annuali emenda, integram non reliquerit in deposito cùm exierit à Conuentu, ad arbitriũ Deffinitorum & Prouincialis puniatur, & ad omne officium honoris Ordinis perpetuò inhabilis permanebit.

CAP. XXXVI.

De promouendis ad sacros ordines.

Cùm

Cum ex promotione indignorum ad ſacros Ordines grauis, & ipſis Ordinibus,&alijs Sacramentis irreuerentia irrogetur; diſtrictè præcipimus & mandamus, ne quis in poſterum ad ſacros Ordines promoueatur, niſi ſciuerit diſtinctè legere,& linguam Latinam intellexerit,ſaltem mediocriter,& in officio diuino ſit ſufficienter inſtructus:atque bonorum morũ, ſanctæ conuerſationis, & bonæ famæ extiterit; & in ea ætate,quam ſanctum Concilium Tridẽtinum perſcribit. *Additiones.*

¶ Quæ res,vt rectiùs executioni mãdetur, volumus vt Prouincialis, quoties monaſterium aliquod viſitat,inquirat diligenter de vita & moribus ordinãdorũ,&eos vel ipſemet examinet,vel corã ſe ab alio examinare faciat. Et ſi quos idoneos repererit,illis vt ordinẽtur licentiã cõcedat. Nõ poterit autẽ hoc alijs cõmittere,nec facultatem concedere alicui Priori,vt ſubditos ſibi Fratres ad Ordines poſsit promouere. ¶ Quinimo nec Viſitatores,etiam abſente Prouinciali à viſitatione,poterit dare alicui licentiam,vt ad ſacros Ordines promoneatur;niſi caſu quo Prouinciali legitimè impedito, ipſi loco Prouincialis viſitant. Tunc enim in viſitatis viſitationis ſuæ monaſterijs,præmiſſo examine ſupradicto, poterũt doneis concedere facultatem vt ordinentur.

¶ Si quis sine licentia fuerit ordinatus, ipso facto ab executione Ordinis sit suspensus, & per tres menses pœnam grauioris culpæ sustineat, neque poterit cũ huiusmodi dispensari, nisi transacto triennio, per Prouincialem, & Diffinitores, quantumlibet fuerit sufficiens.

¶ Nullus item, quantũcunque doctus & prouectæ ætatis, ordinetur Sacerdos ante bienniũ completum post professionem. Qui autem facta apostasia à Prouincia, extra Prouinciam, etiam cum licẽtia ordinatus redierit, ab executione Ordinum suspendatur per triennium: & vltra ad arbitriũ Prouincialis & Diffinitorũ, sicut viderint in eo religiosè, & exẽplaris vitæ cõuersationẽ.

CAP. XXXVII.

De forma circa studentes, & lectores.

Additiones.

SOllicitè prouideant Prouincialis & Diffinitores, vt in omnibus nostræ Prouinciæ Conuentibus aliqua lectio legatur, vel Theologiæ, vel Logicæ, aut Philosophiæ, vel casuum saltem conscientiæ, aut Grammaticæ.

¶ In illis monasterijs, in quibus est studiũ Theologiæ, legantur duæ lectiones, altera ante prandium, altera post prandium; & quotidie habeatur disputatio ab studentibus, de his que audiẽ-

runt

runt, præſentibus lectoribus; qui auditores ſuos exerceant; quærántq; ab eis quomodo audita intellexerint. ¶ Omnibus autẽ Dominicis, vel ſaltem decimo quinto quoque die habeant concluſiones maiores, de quibus per totam veſperã diſputetur: vt quæ à præceptoribus audierunt diſcipuli, frequenti diſputatione & clariùs intelligant, & tenaciùs hæreant menoriæ. Idemq; faciẽdũ eſt vbi artes, videlicet Logica, & Philoſopia docentur. ¶ Attentè autem & cum Dei timore expendant lectores ſuorum diſcipulorum mores & ingenia; & ſi quos compererint elata ceruice audaciores eſſe quàm ratio poſtulat, nõ ſapiẽtes ſobriè; aut fruſtrà tempus inſumere, vel propter ingenij deffectum, vel quia nimiùm ocio indulgent, ſtatim Priori Prouinciali denuntient: vt maturè poſsit prouidere; ne ſi diſsimulauerint, exitio & dedecori ſint poſteà Religioni. Quòd eis diſtrictè & in virtute ſalutaris obedientiæ præcipimus, & Prouinciali, vt eos de hoc aduertat cùm viſitauerit.

¶ Curent etiam qui Grammaticam docent, vt ſic exerceantur diſcipuli, ne diutiùs quàm oportet in addiſcenda Grammatica commorentur.

¶ In alijs verò Conuentibus omnibus habeatur lectio caſuum conſcientię, cui aderũt omnes Fratres, præter Prædicatores.

¶ Nullus Frater noſtræ Prouinciæ quamdiu

fuerit Prior Prouincialis, vel localis posſit eſſe lector in quocumq; ſtudio, vel in ordine, vel extra.

¶ Lectores Artium, & Theologiæ hoc tātùm priuilegio vtentur, vt quibus diebus legunt, non tenebuntur ire ad Chorum, niſi ad antiphonas, quæ dicuntur poſt Completorium, ad contemplationem, & ad Matutinum, quod dicitur prima nocte. Alijs diebus ibunt ad Veſperas ſaltē, & Primā; niſi fortè illa hebdomada prædicauerint; tunc enim ſat erit ſi Veſperis adfuerint. Lectoribus etiam Grammaticæ, & caſuum conſcientiæ Prior Prouincialis tribuet tantū temporis, quantum illis fuerit neceſſarium.

¶ In præcipuis autem & maximis ſolemnitatibus anni nullus erit priuilegiatus, ſed omnibus horis diurnis & nocturnis aderunt omnes, qui actu non ægrotant, præter Nonam.

¶ Præcipimus autem, vt ijdem examinatores præſcripti in cap. 7. ad examinādos Confeſſores, & Concionatores, ſedulò etiam examinent exeūtes à ſtudio Theologico; videantque, facto periculo eruditionis eorum, quantum profecerint, tam in Artium, quàm in Theologiæ facultate: vt cōſtet an tuto poſsit cōmitti cōcionādi munus.

¶ Videant etiam & examinent quomodo caſus conſcientiæ ex Theologiæ inſtitutis & præceptis, nouerint elucidare atque explicare, vt cōſtet etiam an poſsit ad munus confitendi tam ar

duum

duum admoueri.

¶ Itaque iuxta conscientiam suam æquo examine, horum eruditione perpensa; & facultate, tam ad concionandi munus, quàm confitendi, sicut viderint, ac deprehenderint in studio profecisse, hunc lectorem Artium, illum Theologiæ prælectorem, alium concionatorem, alium confessarium tantũ designent: adhibito consilio & sententia eorum lectorum, qui hos à se examinãdos docuerunt. Et sine tali examine Prouincialis Prior nulli licentiam legendi, concionandi, cõfitendique tribuat.

C A P. XXXVIII.

De Magistris, & Prædicatoribus.

CVm legum vis, aliquorum exemptionibus facilè labefactetur, & ex professione nostra, atque humilitate nostri status, teneamur omnẽ ambitionem, elationisque occasionem fugere: titulosque honorificos respuere, iuxta consilium Domini & magistri nostri: Nolite vocari magistri super terrã. Volumus vt in posterum nullus in nostra Prouincia ad gradum Magisterij promoueatur, nisi id necessarium fuerit ad regẽdam cathedram in Vniuersitate approbata. In quo casu tãtùm hoc illis priuilegium cóncedetur. ¶ Quòd si conti- *Additiones.*

gerit Capitulum Prouinciale celebrari, in illo Cõuentu, in quo ipse commoratur, habebit vocem in electione Prouincialis & Diffinitorum: & literas, vel quas ipse mittet, vel ad se missas, non tenebitur Prælato manifestare; sed poterit per se eas recipere, legere, ac mittere.

¶ Nulli autem gradus Magisterij concedatur, aut facultas prędicandi, vel legendi, qui fuerit de aliquo graui peccato infamatus apud Venerabiles & graues personas religionis; vel etiam apud seculares: nisi re ipsa, & experiētia aliquot annorum, constiterit: vel falsò fuisse infamatũ, vel verè esse correctum. Quod cùm constiterit, huiusmodi licentia concedetur illi: non tamen permittetur esse in loco in quo fuerat infamatus.

¶ Prædicatores ij tantùm instituentur, qui fuerint examinati, & approbati, sicut de Cõfessoribus dictum est cap. 7. Nec poterit sine tali approbatione Prouincialis dare licentiam ad prædicãdum. Nullíque concedetur facultas prædicandi statim audita Theologia, sed ad minus elapso anno, postquam ab audiendo cesauerit: nisi aliud esse seruandum Prouinciali visum fuerit.

¶ Nec omnibus, etiam doctis, concedetur huiusmodi facultas: sed illis tantùm, de quibus probabilis sit spes, quòd prudentia, verbo, & exemplo potētes erunt ad docendũ populum. Priorq; Prouincialis, & localis sæpius prædicatores hor-

tentur & moneant, vt ſacræ ſcripturæ, eiusq́; legitimæ intelligentiæ ſint deditiſsimi: & iuxta ſanam & à Patribus receptam doctrinã prædicẽt: & ad captum auditorum ſe accommodent. Et vt in concionibus nihil profani, fabulosè, ſuſpectiue proferant; ſed ſint illorum conciones ſanorum verborũ, & ſanæ doctrinæ, & ad geminam Dei & proximi charitatem exactè. ¶ Vnde cauebunt à nimia Prælatorum, Magiſtrorum vel eccleſiaſtici ſtatus reprehenſione. Multa enim mala ex incautis huiuſmodi reprehenſionibus orta eſſe conſpeximus. ¶ Prædicatores verò qui ſuo munere abutũtur, & qui non fructuosè, quemadmodum præfinitum eſt, docent; Prouincialis ab officio prædicationis priuabit, aut aliter puniet ſecundum quantitatem, & qualitatem culpæ. Quòd ſi nõ ſe correxerint, omnino priuabit.

¶ Ea autem hebdomada, qua prædicauerint, tantùm Veſperis intereſſe tenebuntur, Antiphonis & contemplationi, atque Matutinis, quæ prima nocte dicuntur: præterquam in Quadrageſima, quando pluries in hebdomada prædicant, tunc enim ad nihilum tenebuntur. Cùm verò nõ prædicant præter hæc Primæ & Completorio præſentes aderunt.

¶ Quòd ſi vanis colloquijs eos vacare, aut tẽpus inutiliter expẽdere cognouerit Prior, ad chorum, & ad omnes obedientias, ſicut cæteros Fra

tres compellet.

Ex bulla. ¶ Quicunque Magistri, Lectores, Prædicatores, vel alij Fratres libros prohibitos sine licentia sedis Apostolicæ expressa ex animi proposito legere fuerint deprehensi, præter alias pœnas, perpetuò munere legendi, prædicandi, aut confessiones audiendi sint priuati: & ad omne officium cum cura animarum inhabiles existant.

¶ Similiter quicunque Fratres cōperti fuerint legere in libris profanis, in quibus præter nugas & mendacia, aut amores inhonestos, vix ferè quicquam solidum continetur; & libris priuentur, & tribus diebus in pane & aqua ieiunent in medio refectorij, & eijsdem suscipiant disciplinā, sine dispensatione.

¶ Volumus prætereà, vt in præcipuis Conuentibus, vbi concursus est populi, saltem Dominicis diebus, fiat sermo ad populum: præterquā in æstate; tunc enim licebit paululum intermittere prædicationem. In alijs verò ecclesijs nostrorum monasteriorum, quæ vel vt parrochiæ sunt, illis diebus in quibus non est sermo, doceant populū Cathecismū. In alijs Cōuentibus ad quos nunquā populus concurrit, prouideat Prior ne Fratres frustrentur pane verbi Dei: vnde ipse eis prædicet, vel alium prædicare faciat.

CAP. XXXIX.

De libris habēdis ad vsum Chori, & sacristiæ.

Priores

PRiores omnes nostræ Religionis sollicitè studeant, & procurent, vt in choro sit saltem vnũ bonum Breuiarium, & libri qui ad canendum in officio diuino sunt necessarij, siue excusi illi sint, siue manu scripti; modò diligenter procuret vt omnes sint emendati: ita vt tamen in intonatione Hymnorum & Psalmorum, quàm in reliquo cantu omnes simus conformes. ¶ In Sacristia autem erunt Missalia bona quod erũt necessaria, & Manualia ad processiones faciendas. *Cõstitutiõ moderata*

¶ Procurabit præterea vt sint varia ornamenta ad Missas dicendas, & ad ornanda altaria secũdum diuersam temporis indigentiam. Item sint in qualibet domo calices necessarij iuxta numerum Sacerdotũ de argẽto, & in alio calice quàm de argẽto nullo modo Frater sacrificet, nisi fortè quando ex casu hoc sine scandalo vitari nõ possit. Vasa autem omnia ad Ecclesiam pertinentia, quæ pretiosa fuerint in aliquo loco tuto & firmo in ipsa Sacristia, vel in alia parte Conuentus seruentur.

¶ Districtè autem præcipimus & mandamus Prioribus, Subprioribus, Vicarijs, vt pro nulla caussa calicem, patenam, turibulum, vel aliud vas, aut ornamentum Ecclesiæ vendere, alienare seu impignorare præsumant: nisi id pro maiori

Con-

Conuentus vtilitate videatur expediens. Et tunc fiat de licentia Prouincialis, & consensu maioris partis Capituli: aliter facta alienatio sit ipso iure nulla. Et Prior vel quicunque Prælatus qui contra fecerit ab officio deponatur, & ad arbitrium Prouincialis puniatur. Simili pœnæ subijcimus Priorem, vel quemcunque Prælatum qui libros bibliothecæ similiter distraxerit: nisi fortè pro emendis vtilioribus ita videatur conuenire; tunc autē fiet huiusmodi vēditio de consilio & assensu prædicatorum & lectorum, si qui fuerint tūc in Conuentu. ¶ Quicunque autem aliquid de Sacristia, vel aliquem librum de bibliotheca furatus fuerit, ipso facto sit excommunicatus,

Ex bulla. ¶ Res verò Sacristiæ cuiusuis generis sint, nullo modo alienētur, nec pignori opponantur, nec vllo modo alicui accōmodentur: sed solùm propriæ ecclesiæ seruiant; Decernentes irritū & inane quicquid secus per quoscunque scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

CAP. XXXX.

Quòd Fratribus aliquando concedatur recreatio aliqua.

Additio. QVia nostræ naturæ corruptio & imbecillitas animum nostrū rebus serijs & grauibus semper esse intentum nō patitur, vt alacriores ad res diuinas & sacras Fra-

tres

tres nostri reddantur: cõcedatur eis nonnunquã aliqua honesta & moderata recreatio, siue in hortu domus, siue in agro. ¶ Non tamẽ ob hoc licebit Ordinem officij diuini perturbare. Neque permittetur aliquid profanum, vel indecorũ: nec habitũ Religionis vel ad horam mutare; aut aliquid modo histrionum repræsentare. ¶ Poterũt tamen Comœdias, aut Dramata aliqua nõ inhonesta agere. Sed nõ licebit vllo modo ad aleas, vel ad chartas ludere. Si quis autẽ inuentus fuerit ad aleas, vel chartas lusisse in domo, aut cum aliquo seculari, per annum voce careat actiua & passiua: & per mensem pœnæ subiaceat grauioris culpæ. ¶ Quando autem, & quales recreationes Fratribus sint permittendæ Prouinciales & Deffinitores in Capitulo Prouinciali definient.

CAP. XXXXI.

De pœnis seu pœnitentiis.

Cum præcipua infligentiũ pœnas intentio, correctio debeat esse peccãtium, Prælati nostri Ordinis diligenter procurent, vt ij quos puniunt pœnis meliores atq; cautiores reddãtur. Quod fiet certè cùm tamquam patres filios eos corripuerint: ostendentes eis amorem etian in *Additiones.*

verbis

verbis:& quærentes ab eis rationem facti; quasi eam desiderantes, vt non puniant, sicut ille rex Euangelicus; Amice, quomodo huc intrasti, nõ habens vestẽ nuptialem? At si obmutuerit vt ille, tũc ipsi debitam culpę pœnã adhibeat. ¶ Quapropter eos sæpe monebunt, adhortabunturq; ad patientiã: & merentes consolabuntur, corripient denique eos tamquam spirituales in spiritu lenitatis; considerantes semetipsos ne, & ipsi tententur. ¶ Non tamen volumus vt pœnitentiæ in nostris Constitutionibus taxatæ propter hoc minuantur. ¶ Si tamen aliquando contigerit aliquod graue delictum, cui nõ est taxata pœnitentia, Prior iuxta delicti quantitatem secundũ suæ discretionis arbitrium, consulto, si propè aderit, Prouinciali; vel saltẽ senioribus aliquibus de suo Conuentu, eam poterit imponere.

¶ Quoniã verò inter eos qui ad triremes sunt damnati, plerique sunt vitijs assueti, & nonnulli infideles, latrones, atque alijs facinoribus criminosi; & ex talium consortio vix fieri potest quin corruptior quotidie reddatur, qui cum illis consuetudinem & consortium habet. In Conuentu verò cũ qui carceri mancipatur, tũ Prioris aliorumq; seniorum monitis & exemplis cũ assidua sanctorum lectione facilè ad virtutis & Religionis studium incitari diuina ope confidimus. Districtè præcipimus in virtute sancti Spiritus, &

salu-

ſalutaris obedientiæ, ne quis Frater pro quantũuis graui crimine poſthac ad triremes perpetuas damnetur. ¶ Sed vel perpetuò incarceretur, vel poſtquam fuerit in Ordine iuxta menſuram delicti punitus, ab Ordine licentietur ad alium Ordinem vel arctioris, vel tam arctæ vitæ quàm eſt noſter Ordo. Vel ſi tam obſtinatus fuerit, quòd de eo deſperanda ſit correctio, & timeatur ne cõtagione peſtifera alios perdat, vt ait Beatus pater Auguſtinus, tamquam infamis, habitu exutus; vt ſecularis ſuſpenſus ad ſeculum reuertatur. In hunc enim intellectum accipienda ſunt illa verba Regulæ beati patris noſtri Auguſtini, ſi probè expendantur: De veſtra ſocietate proijciatur. ¶ Nullum autẽ poterit Prouincialis licentiare, niſi priùs punitum in Ordine, ſecundum Ordinis ſtatuta, & de conſilio & cõſenſu Diffinitorũ.

C A P. XXXXII.

De pœna falſificantium, ſeu aperientium literas Prælatorum Ordinis.

NVllus Frater Generalis, Prouincialis, vel Conuentualis Prioris, aut alterius cuiuſcunq; Prælati in Ordine noſtro literas audeat deſtruere, aperire, falſificare, vel occultare, ſiue quas ipſi ad alios mittũt, ſiue quæ ipſis mit- *Cõſtitutiõ*

mittuntur ab alijs. Si quis contrà facere præsum pserit, eò ipso sententiam excōmunicationis incurrat. ¶ Et si de tali peccato fuerit confessus, vel conuictus, pœnam grauioris culpæ sustineat per mensem integrum, ineligibilis per tres annos ad omne officium Ordinis permansurus. ¶ Et eidē pœnæ subiaceat qui indulgentias, priuilegia, aut instrumenta publica in fauorem Ordinis, vel alicuius domus, seu Fratris, vel cuiuscunque personæ concessa destruere fuerit ausus, vel alienare. ¶ Falsificare intelligimus, demere, vel addere aliquid in literis, quod sensum & tenorem literæ in aliquo mutet; seu aliquid aliud facere contra intentionem eius cuius in ipsis literis nomen appositum est, vel signum.

CAP. XXXXIII.

De pœna percutientium, & incidentium in aliquem lapsum carnis, & reuelantium secreta Capituli, seu domus.

Cōstitutio

ORdinamus quòd si aliquis Frater irato animo, aliquem Fratrem nostri Ordinis pugno, ligno, vel lapide, seu aliquo alio, sine sanguinis effusione, seu vllius partis corporis graui læsione, percusserit, per mensem pœnæ subiaceat grauioris culpæ. Secunda verò, quarta & se-

& sexta feria in pane & aqua, sine dispensatione, ieiunet. ¶ Si verò Fratrem alterius Ordinis, aut Clericum, aut personam secularem percusserit, per duos menses pœnæ subiaceat supradictæ, & tantum plus quantum Generali, vel Prouinciali visum fuerit expedire. ¶ At verò si ex percussione sanguinis secuta fuerit effusio, vel mortale vulnus, aut grauis alicuius membri læsio inferatur, percutiens incarceretur; nec inde extrahatur, nisi priùs cum eo per Prouinciale Capitulum dispensetur. Infra quod tempus secunda, quarta, & sexta feria in pane & aqua, sine dispensatione, ieiunet. ¶ Adijcientes, quod si hoc cum scandalo extraneorum fiat, postquam cum eo, vt de carcere exeat, fuerit dispensatum, per quinquennium careat voce. ¶ Si autem vsque ad homicidium, quod Deus auertat, aliquis dilabatur; talem volumus perpetuò carcerari, & ter in hebdomada panis & aqua ei solùm ministretur. ¶ Quòd si quis ad tantam sæuitiam, seu animi perturbationem venerit, quòd vltra ter in fratrem manus iniecerit violentas; etiam absque membri læsione, & sanguinis effusione, notabili portata pœnitentia, in Capitulo isto posita secundum differentiã & grauitatem percussionum; additur quòd ad omne officium Ordinis ineligibilis perpetuò priuatusque voce actiua & passiua permanebit, nisi fuerit cum eo per Generale Capitulum dispensa-

tum. Nihilominus aggrauentur pœnæ magis secundum transgredientiũ exigentiam meritorũ.

¶ Quicunque animo irato percussionem alicui comminatus fuerit, sustineat pœnam grauioris culpæ per quindecim dies.

¶ Item quicunq; Frater in suum Priorem, vel Prælatum iniecerit temerè manus violẽtas, post pœnam excommunicationis, quam talis ipso facto incurrit, à qua per nullum nisi per summum Pontificem absolui potest, voce perpetuò sit priuatus, & ineligibilis ad omne officium cum cura animarum. Quam etiam pœnã ad ordinatores & complices percussionis, & iniectionis manuum violentarum, volumus extendi.

¶ Item præcipimus in virtute sancti Spiritus, & salutaris obedientiæ, ne quis cuiusuis generis arma vel habeat, vel secum portet. Qui cõtra fecerit sit ipso facto per sex menses pœnę carceris adiudicatus.

¶ Si qui verò reperiantur, qui hactenus fuerint pro vitio indicibili incarcerati, aut confessi, corã fide dignis, vel conuicti, nullo tempore ad Prioratum, Subprioratum, seu Vicariatum, vel aliquam curam animarum assumantur. Qui autem tales promouerit vsque ad quinquennium ineligibilis habeatur, & illa promotio nulla sit. Et si deinceps aliqui in prædicto vitio inueniãtur, decem mensibus incarcerẽtur. Secundis, quartis, & sex-

tis

tis ferijs, sine dispensatione, in pane & aqua ieiunent: & eisdem diebus recipient disciplinam in Refectorio; & postmodum licentientur ad regulam arctiorē, si spes correctionis eius habeatur. Additio
¶ Alioquin ne contagione sua plurimos, etiā in alia religione perdat, perpetuò in Ordine incarceretur. ¶ Qui autem in fornicatione, vel adulterio deprehensus fuerit, incarceretur, pœnaque grauioris culpæ puniatur per mensem: & à carcere nō extrahatur sine Prouincialis licētia speciali. ¶ Si quis autem in peccatū carnis extra domum lapsus fuerit, Frater quicum eo fortè est, studeat Priori excessum eius corrigēdum quàm citiùs poterit intimare. Quod si non fecerit, & posteà constiterit, simili pœna plectetur. Si verò huiusmodi peccatum occultum fuerit, inquisitione secreta secundum tempus & personam cōdigna ei imponatur pœnitentia. Si autem manifestum fuerit, correctus secundum prætaxatam pœnam de fornicatoribus, à loco remoueatur, nec vltra ad locum, in quo tale commisit, ire permittatur. Nisi postmodum taliter fuerit conuersatus, quòd Diffinitoribus Prouincialis Capituli aliter videatur obseruandum. Additio.

¶ Si quis Frater, siue conuersus, secretū cuiuscunque Capituli, seu domus nostri Ordinis alicui extraneo scienter & ex deliberatione reuelauerit, pœnam grauioris culpæ per vnū mensem,

fine dispensatione, sustinere cogatur, & voce careat quousque pœnitentiam talem adimpleuerit. ¶ Secretum verò Capituli, seu domus intelligimus caussas infamatorias, absolutionẽ cuiuscunque Prioris, vel correctionem eiusdẽ, vel Fratris alicuius crimen, seu omne aliud vnde Ordo noster turbari posit, seu diffamari. Secretum etiam dicimus, quicquid præceperit quicunque Prælatus secretum haberi. Extraneos autem dicimus, quotquot nostræ non sunt professionis, nec sub debita obedientia Prioris generalis.

CAP. XXXXIIII.

De pœna falsi testis & eum introducentis, & mittentis literas infamatorias, sine nomine & cognomine.

Cõstitutio

LIcet via malignantium, & iniquitas peruersorum, nulla posit lege, seu mandato precludi: tamẽ ad hoc quantùm in nobis est, debemus sollicitè vigilare.

¶ Igitur statuimus & ordinamus, & omnes ac singulos Fratres nostri Ordinis primò, secundò, & tertiò inducimus & monemus, & eijsdem strictè præcipimus per obediẽtiam salutarem, & sub excommunicationis pœna, vt nullus ex eis Fratrem aliquem de falso crimine corã aliquo Prælato, vel Officiali, aut Prælatum

latum aliquem coram Fratribus, & secularibus accusset, vel falsum testimonium cōtra aliquem reddat, vel falsum testem det: seu inducat, aut dari faciat. Quòd si quis tanta peruersitate, & suggestione diabolica fuerit obcæcatus, quòd cōtra hoc nostrum præceptū pręsumpserit modo aliquo ire, vel illud contēpserit obseruare, trina canonica monitione præmissa ex nunc provt ex tunc in his scriptis ipsum excommunicationis vinculo innodamus: & ipsum ipso facto excommunicatum esse decernimus. ¶ Addentes insuper quòd quicunque fuerit de tali temeritate cōuictus per sex menses pœnę carceris in compedibus mancipetur; & secunda, quarta, & sexta feria tantùm pane & aqua reficiatur; & voce, & officiò prædicationis, & lectoriæ, si lector fuerit, vel præpicator, perpetuò careat: nisi cum eo per duo Prouincialia Capitula fuerit dispensatum.

Additio.

¶ Item sub tenore eiusdem præcepti & censuris ac pœnis districtè prohibemus, ne quis Frater nostri Ordinis literas infamatorias, aut per quas posit Ordo, siue Conuentus, vel aliquis Frater Ordinis infamari: vel ipsius Ordinis secreta, aut alicuius Fratris sciri, ab aliqua persona. Si id fiat animo vel Ordinis, vel Fratris alicuius lædendi, illis dūtaxat superioribus exceptis, ad quos correctio eorum de quibus scripserat, pertineret, mittat, aut mitti faciat; vel procuret, aut consen-

tiat: neque per rithmos, vel cantilenas, aut quasuis cedulas, vel libellos, aut descriptiones in quouis loco, etiam in parietibus designatas, aliquem diffamet. ¶ Quòd si quis aliquo modo contra fecerit, eo ipso excommunicationis vinculo, quã ex nunc provt ex tunc in ijs scriptis ferimus, sit astrictus. Et per tres menses pœnæ subiaceat grauioris culpæ. Et nihilominus postquam per eũ talis pœnitentia fuerit sine diminutione adimpleta, voce per triennium careat, & sexta feria super nudam terram sedens in pane & aqua ieiunet, & à Priore loci recipiat disciplinam.

Additio ¶ Mandamus insuper, & strictè prohibemus omnibus & singulis Sacerdotibus nostri Ordinis, ne aliquem in posterum à sententijs in præsenti capitulo latis, aut ab aliqua alia ecclesiastica censura, vel sentẽtia in Constitutionibus istis vel à Diffinitoribus Capituli, vel Visitatoribus latis, exceptò mortis articulo, presumant absoluere, absque Prouincialis licentia speciali. ¶ A sententijs autem, quas Visitatores tulerint, poterũt ipsi absoluere, vel de eorum licentia alij. ¶ A sententijs verò, quas tulerit Reuerendissimus Generalis, nullus præter ipsum, aut de ipsius licentia præsumat absoluere. Quicunque contrà fecerit per duos menses pœnæ subiaceat culpæ grauioris; & huiusmodi absolutio penitùs irrita, & nulla esse intelligatur.

Pro-

¶ Prohibemus insuper, ne quis Frater nostri Ordinis superior, aut subditus literas aliquas mittat, aut mitti faciat, vel procuret, aut consentiat, in quibus nomen suum & cognomen; aut saltē patriæ, locìue suę natiuitatis denominatio nō sit lucidè & clarè descripta. ¶ Contrà facientes autem per suum superiorem puniātur, & voce actiua & passiua sint priuati per annum. *Cōstitutio*

CAP. XXXXV.

Qua pœna proprietarij, & surripientes puniantur.

CVm omnis Religionis status priuatæ proprietatis ab vsu labefactetur & corruat; volumus & ordinamus, atque districtè in virtute sancti Spiritus & salutaris obediētiæ præcipimus omnibus Fratribus nostræ Prouinciæ cuiuscunque status & conditionis existant: vt nullus illorum per se, vel per interpositam personam, habeat priuatum dominium, vsum, vel vsumfructum pecuniarum, reddituum, vel quorumcunque bonorum mobilium, aut immobilium, aut semouentium. Sed omnia quæcunque habuerint, quomodocunque acquisita, vel donata, in potestate sui Prælati integrè teneantur resignare, nihil penitùs sibi retinentes, seu quouis *Additio.*

modo reseruantes; omnem ſpem proijcientes pleniſsimè in Dominum: à cuius immēſa bonitate; ſi religiosè vixerint nedum victum, & veſtitum, & cætera huic vitæ neceſſaria: verū & cæleſtes theſauros cumulatiſsimè recipient. Vnde quicquid Fratribus datur in eleemoſynam promiſsis, prædicationibus, aut confeſsionibus in communes Conuentus vſus redigatur: permittantur autem Fratribus libri, & quę neceſsitas cuiuſq; poſtulat à noſtræ Religionis Prælatis prouideantur.

Ex bulla. ¶ Si quæ verò pecuniæ, aut aliæ quæcunq; res cuique priuato, etiam intuitu perſonę vndecūq; donatæ, ſiue relictæ fuerint, ſuperiori horarum vigintiquatuor ſpacio exhibeantur. Qui illas eſtatim vel in depoſito reponat, vel vni ex depoſitarijs committat: & inde tantùm exhibitori miniſtrari iubeat, quantum rei conuenientis præſens neceſsitas expoſcere videtur.

Additiones. ¶ Volumus etiā, vt quilibet Prior ſingulis annis faciat inuentarium omnium librorum, veſtimentorum, ac aliorum omnium ad vſum Fratrū ſuorum tam recedentium, quàm remanentium, & aduentantium conceſſorum: & tempore viſitationis illud Prouinciali, vel Viſitatori oſtēdat; vt ſi quæ inuenerint ad vſum alicuius Fratris immoderatè conceſſa, ea omnino efficaciter ab eo Fratre auferant: & provt opus eſt cæteris diſtribuant.

Null-

¶ Nulli autem locali Priori, nec etiã alicui Fratri cuiuſcunque gradus, ſtatus, & cõditionis exiſtat, equum, aut mulam, aut iumẽtum aliquod per ſe, vel per interpoſitam perſonam ad priuatum vſum tenere quouis modo liceat. Prouinciali dumtaxat excepto, gratia viſitãdi monaſteria.

¶ Si quis autem contra fecerit, quicunque fuerit ille, huiuſmodi equo, mula, vel iumento priuetur, & ſicut proprietarius puniatur.

¶ Quicunq; aliquid celauerit, ſi res celata fuerit valoris vnius libræ, hoc eſt viginti ſolidorum argenti, pœnæ grauioris culpæ per duos menſes ſubiaceat. Si verò maioris fuerit, ſecundum augmentum valoris rei celatæ, augearur delinquẽti pœna, provt diſcretioni Prioris videbitur expedire. Ita etiã vt pęna ipſa minuatur, ſi valor rei celatæ minor fuerit. Et vltra hanc pœnã acceptis & acquiſitis omnibus efficaciter omnino priuetur.

¶ Præter hæc autem, quicunque aliquid prędictorum occultauerit, vel tamquam propriũ poſſederit; aut mercaturam exercuerit, vel lucris turpibus vacauerit, ſententia excommunicationis innodabitur: & Prouincialibus, atque Viſitatoribus, & Prioribus localibus præcipimus in virtute ſanctæ obedientiæ, vt ſuper hac re diligenter inquirant; & quẽcunq; compererint hoc noſtrum mandatum non obſeruare, efficaciter puniant, vt in hoc capite eſt præfinitum.

¶ Statuimus etiam, quòd nullus Frater nostri Ordinis, siue fuerit Prior, siue subditus, quouis modo extra locum, in quo conuentualis existit vestes, libros, siue aliquid aliud, sibi ad vsum concessum, reponere audeat: nisi subditus fuerit, de expressa & speciali licentia sui Prioris; quam licẽtiam sine caussa rationabili nulli concedet. ¶ Si verò Prior fuerit sine expresso consensu & volũtate trium Fratruum de senioribus sui Conuentus. ¶ Quicunque verò contra fecerit, sine aliqua dispensatione, rebus ipsis efficaciter priuetur; & de ipsis, sicut de bonis Fratrum descedentium disponatur. Itaque extra loca nostri Ordinis, penes alias personas, qualescunque illæ fuerint, & quacunque consanguinitate, vel affinitate alicui ex nostris Fratribus coniunctas, nullo titulo, vel exquisito colore, quicquam reponere licet. Si quis contra fecerit, quicunque ille fuerit, prætaxatam pœnam omnino luat, & per quindẽnam pœnæ grauioris culpæ subiacere cogatur. Pecunia autem Conuentus, vel si quæ in custodia habet, procurator loci de conscientia & voluntate Prioris, & quatuor, vel trium seniorum de Conuentu, apud aliquam securam & honestam personam poterit, tempore necessitatis, à procuratore deponi.

¶ Eidem pœnæ subiaceat quicunque extra Ordinem aliquid donauerit, emerit, vel vendiderit,

sine

fine licentia Prioris expressa, præter commestibilia. Si autem fuerit Prior sine assensu saltē duorum seniorum de Conuentu. ¶ Qui autem commestibilia emerit, vel receperit, aut dederit extra Ordinem, sine licentia Prioris, pro prima vice recipiat disciplinam, & in terra sedens in panē & aqua ieiunet in medio Refectorij. Pro secunda vltra hæc ad arbitrium Prioris puniatur.

¶ Vt omnis priuatæ proprietatis amputetur occasio, vniuersis & singulis nostræ Prouinciæ Prioribus, in virtute sanctæ obediētiæ, ac sub pœna priuationis sui officij, ac vocis actiuæ & passiuæ per bienniū, præcipimus & mādamus: quòd omnibus & singulis Fratribus de eorum familia tam in eorū infirmitate de medici cōsilio, quàm in sanitate, per procuratorem Conuentus cum omni humilitate, & charitate victum, & tegumētum distribuant, sicut cuique eorum opus fuerit. Quòd si iuxta posse monasteriorum id non fecerint, statim à Prouinciali prædictam pœnam pati cogantur.

¶ Volumus præterea, vt omnibus Fratribus, qui à Prouinciali & Visitatoribus mutantur de loco ad locum, prouideatur à Conuentu, vnde exeunt, saltem quantum sufficere possit vt pedestres ad locum perueniant. ¶ Senibus verò Prioribus, Subprioribus, & Prædicatoribus, atque Lectoribus prouideatur de mula aut iumento, & de

& de omnibus expensis itineris. Libros verò & alia quæ ad vsum eis permissa sunt, expensis monasteriorum, ad quæ vadunt asportentur.

❡ Si quis Frater aliquid ab alio, etiã minimũ, sustulerit à Priore loci ieiunijs & disciplinis omnino efficaciter punietur. ❡ Si verò circa quantitatem, aut valorem vnius vnciæ argenti, alicui personę, vel loco furtiuè sustulerit, rem restituere cõpellatur, & pœnæ grauioris culpę per duos mẽses subiaceat. ❡ Si verò aliquis de quantitate maiore furtum commiserit, per sex menses incarceretur, & semper secunda, quarta, & sexta feria in pane & aqua ieiunet. ❡ Si quis autẽ calices, vel aliqua ecclesiæ ornamenta furari præsumpserit, vel fieri, super hoc auxilium præbuerit, pœnę carceris mancipetur; nec inde liberetur sine Prouincialis & Diffinitorum licentia speciali: & secunda, quarta, & sextis ferijs in pane & aqua, dũ ibidem steterit, sine dispensatione ieiunet, & disciplinam rescipiat. ❡ Eidem pœnæ subiaceat qui arcam depositi cõfregerit, vel aperuerit clam; & qui aliquod instrumentũ habet, vel claues adulterinas, quibus possit seras aperire. ❡ Priori tamen precipimus, vt habeat clauem communem qua possit omnium Fratrũ cellas aperire, & visitare quoties illi placuerit, quod frequentabit.

❡ Si verò Frater aliquis furti laboret infamia, & post huiusmodi infamiam in furto fuerit de-

pre-

prehensus, aut de eo conuictus, vel confessus, postquam extractus fuerit de carcere, in quo steterit per sex menses, habitu professorum & voce careat, sine dispensatione, per triennium.

¶ Præterea si quis, exigentibus suis demeritis, fuerit in vinculis positus, aut carceri mancipatus, & aliquis de Fratribus nostris, quicunque sit ille, ad fugiẽdum, vel inde exeundum per se; vel per interpositam personam, eidem dederit vllo modo, vel ingenio consilium, auxiliũ, vel fauorem, ipse talis in eadem pœna ponatur. Et idem iudicium de custodibus, si per eorum negligentiam fugerit, obseruetur.

¶ Fugiens autem de carcere, vel de alia pœna, cui pro culpis suis obnoxius erat, si postmodum redierit, vel capi poterit, in eijsdem pœnis in quibus erat, & in loco, vel in Prouincia vbi erat, manere cogatur. Incarcerati habitu nigro, seu cuculla careant quamdiu fuerint in carcere.

CAP. XXXXVI.

De ratione recipiendi Apostatas, & pœna eis infligenda.

Qvicunque apostatauerit, ipso facto sit excommunicatus: quam sententiã ex nunc ferimus præsenti statuto. ¶ Eũ autem Apostatam declaramus, qui debita licen *Cõstitutio*

tia petita & obtenta, saltē Prioris Generalis, exierit. ¶ Si verò misertus sui ad Ordinem redierit, modus receptionis eius talis erit. Primò carceri tradatur, deinde sequenti die, si venerit veste seculari, ad ostiū Capituli, vbi recipiendus est, exutum ea veste, tunica induant; & vsque ad cingulum nudatus, manu virgas tenens, ad pedes Prioris, vel in Refectorio, vel in Capitulo se prouoluens dicat suā culpam: ac surgens ad iussum Prioris, transgressionemq; deserte confessus vapulet primùm à Priore, deinde à circūsedētibus vtrinque: pœnamq; grauioris culpæ per mensem integrum sustinebit: atque exceptis secunda, quarta, & sexta feria in cibo & potu Prior dispensare poterit. ¶ Deinde ad quinquennium vsque ad Prioratum, Subprioratum, & omne officium cum cura animarum ineligibilis habebitur, & omnibus sextis ferijs occurrentibus in terra sedeat coram Fratribus de Conuentu. ¶ Si secundò apostatauerit, prædictā pœnam per duos menses soluet, & tam pro prima, quàm pro secunda, voce careat, donec post annum, & non antea, fuerit cum eo per generale Capitulum, vel Prouinciale, si videbitur, dispensatum. ¶ Quòd si in profundum malorum veniens tertiò admiserit Apostasiam, ad Ordinem non recipiatur: sed pūnitus licentietur iuxta prædicta in cap. 50. sequēti. ¶ Qui verò cum scandalo ab Ordine recesserit, vel in seculo

inho

inhonestè vixerit (si scandalum non fuerit propter quod debeat in vincula conijci) per mensem pœnæ grauioris culpę subiaceat; & secũda, quarta, & sexta feria in pane & aqua, sine dispensatione, ieiunet; & eijsdem diebus in Capitulo vapulabit: si autẽ scandalum erit propter quod debeat incarcerari, completo primo mense, ad habitum restituatur, & ad alias horas. Et ex tunc ad tres menses quarta & sexta feria coram Conuẽtu in pane & aqua in terra sedẽs, sine vlla dispensatione, reficiatur. Priuatus prædicatione, confessione donec per Generale Capitulum cum eo fuerit dispensatum. ¶ Prælatus qui perscripta hæc seruare neglexerit decem dies pane & aqua infra duós menses ieiunet. & nihilominus qui contra hanc formam fuerit receptus penitùs ad pœnás supradictas teneatur. ¶ Qui verò apostatando habitũ alterius Religionis assumpserit, rediẽs ad nostrum Ordinem, voce careat per decennium, sine dispensatione, ac per memoratũ tempus ad omnia officia Ordinis, cum cura animarum, inhabilis permaneat.

CAP. XXXXVII.

De leui culpa.

LEuis culpa est, mox vt datum fuerit signũ, relictis omnibus, in ecclesiam ordinatè non venire. *Cõstitutio*

Et si

Et si quis in diuinum officium non intendẽs, vagis oculis & gestu irreligioso, leuitatem osten derit.

Et si quis in Choro malè legendo, vel perperã canendo, vel aliquid errando offendens, non sta tim sese humilians, terram manu tetigerit, & surgens pectus suum percusserit.

Si quis ad Gloriam primi psalmi non affuerit.

Si quis in Choro riserit, vel alios ridere fecerit.

Si quis in ecclesia, vel dormitorio, vel cellis aliquid inquietudinis fecerit.

Si quis statuto tempore cantum lectionémue non prouiderit, aut cantare aliud, vel legere pręsumpserit, quàm communis vsus habeat.

Et qui cachinis, ludis, dictis, vel factis ad ridendum alios prouocauerit.

Et qui eũdo per vicos & plateas oculis vagis, aut alio quouis indeciplinato motu, vanum se ostenderit: aut in Capitulo, Choro, & Refectorio mox in principio per neglìgentiã nó affuerit.

Aut qui cęremonias ibi fieri solitas, non seruauerit.

Si quis ad lectionem obdormierit, vel aliquid vtensilium fregerit, aut perdiderit, cibũ, potũque effuderit; aut sine benedictione cibũ sumpserit.

Si liber in quo legendum est cuiuspiam neglectu defuerit, aut cum Conuentu ad Capitulum, sed collationẽ omnẽq; refectionẽ nõ interfuerit.

Altaris, vel eccleſiæ ornamenta negligenter tractauerit, veſtes ſuas & libros ſtatuto loco nõ poſuerit.

Et quiſquis ſtatutis temporibus cum alijs auditurus lectionem non affuerit.

Si quis foras rediens benedictionem accipere neglexerit.

Et qui cùm clamatus fuerit, eadem die, quaſi ſe vindicando, clamantẽ accuſare præſumpſerit.

Et ſi quis cum iuramento quicquam affirmauerit, vel negauerit, turpem ſermonem, vel vaniloquium dixerit.

Et qui ea quę ad munus ſibi demandatũ pertinent, negligenter fecerit.

Huic etiam pœnę ſubiaceat qui ſilentium fregerit, vel pro victu, ſeu veſtitu, ſeu alia re quapiã, murmurauerit.

Pro ſupra dictis iniungetur pſalmus, diſciplina, vel amplius, ſi Priori videbitur expedire.

Eidem pœnę ſubiaceat qui dixerit aliquid, vel egerit, vnde offendantur Fratres, vel ſeculares.

Et ſi quis ad Conuentum, hora qua debuetit venire, diſtulerit.

CAP. XXXVIII.

De graui culpa.

Grauis culpa eſt, ſi quis audiẽtibus ſecularibus, cũ aliquo Fratre, vel ſeculari cõtẽderit. *Cõſtitutio*

Si quis Frater cum Fratre intus, vel foris lites habuerit.

Si quis alicui Fratri, vel ſeculari opprobrium dixerit.

Si quis mendacium ex animi deliberatione effuderit.

Si quis Fratri præteritam culpam, pro qua ſatisfecit, exprobrauerit.

Si quis de more ſilentium non ſeruare fuerit deprehenſus.

Si quis in cameris priuatis ſilentium fregerit.

Si quis ſuam, vel aliorum culpam ſedendo, vel clamando defenderit.

Si quis inter Fratres diſcordiam ſeminauerit.

Si quis clamans, & in clamatione ſua iurgiũ excitauerit.

Si quis deprehendatur in eum, à quo clamatus eſt ſtomachosè, ac contumeliosè, vel in aliũ quempiam inuehi, vel eos minis adoriri debacchando.

Si quis de Prioribus, Fratribus, ſiue conuentualibus ea mala malitiosè deuomuerit, quæ Fratrum teſtimonio probare nequiuerit.

Si quis in fœminis oculum fixerit, præſertim ſi hoc ſolitus eſt facere: vel cum eis non de confeſsione, niſi breuiter interrogans, vel rogatus quicquam reſpondens loquatur.

Si quis ieiunia ab Eccleſia ſtatuta fregerit, in

eadem

eadem incidunt culpam: qui poſtquam foras omiſſi fuerint in obedientiæ vilipendium, ſine licentia, ante præfixum terminũ reuerti præſumpſerint; vel vltra terminum moram fecerint.

Si quis literas, vel eas ſcriptas, vel aliunde receptas, Prælato non patefecerit, Magiſtris cathredalibus exceptis. ¶ Pro huiuſmodi culpa, atque his ſimilibus, veniam petentibus, & non clamãtis, tres diſciplinæ dentur in Capitulo, vel Refectorio; & tres dies pane & aqua ieiunent. Clamatis verò vna dies, & vna diſciplina addatur: & preter huiuſmodi, quod diſcretioni Prioris videbitur, pro qualibet culparum iniungatur, vel pſalmi, vel venia præbeatur.

CAP. XXXXIX.

De grauiori culpa.

Grauior culpa eſt, ſi quis contumaciter, ac ſuperbè per diem integrũ Priori ſuo inobediens perſtiterit: vel poſtpoſita debita reuerentia, vel paterno timore, cum eo intus, vel foris proteruè, & quaſi cum pari contendere fuerit auſus. *Cõſtitutio*

Si quis mortale peccatũ manifeſtè cõmiſerit.

Si quis procurauerit ſe, vel alium ab obedientia Prioris, Generalis eximi.

Si quis rem ſibi collatam recipit, ex ijs quæ re

cipi prohibentur, vel celauerit receptam; quem beatus pater Augustinus furti iudicio dicit esse condemnandum.

Si proclamatus fuerit, & cõuictus sponte fugiat, & crimen suum publicè confiteatur, & denudatus cuculla vapulet quantum Priori videbitur expedire, & sit omnium nouissimus in Conuentu; vt qui culpam perpetrando, non erubuit membrum fieri diaboli, ad tempus, vt resipiscat sequestretur à consortio ouium Christi. In Refectorio ad communem mensam non consedebit, sed in medio Refectorij in terra accumbens ad nudam tabulam comedet, & præbebitur ei grossior panis, & potus aquę; nisi Prior ei aliquid per misericordiam impendat: nec reliquiæ prandij eius cum alijs admisceantur; vt agnoscat se ita sequestratum à consortio aliorum, vt nisi resipiscat per pœnitentiam, separetur etiam à consortio Angelorum. ¶ Ad horas canonicas, ad gratias post cibum, ad ostium ecclesiæ, vel Refectorij transeuntibus Fratribus intrando, & exeundo iaceat. ¶ Nullus itaque audeat sese illi cõiungere, nec aliquid mandare. Prior tamen (ne in desperationem labi possit) mittat seniores ad eum, qui pœnitentiæ moneãt eum, hortẽtur ad patientiã & satisfactionẽ. Qui si viderint in eo cordis humilitatẽ, totus Conuentus roget pro eo, & Prior libenter misericordiam ei exhibeat: & si videbi-

tur

tur vapulet denuò, ad pedes ſingulorum; primũ Prioris, deinde vtrinque conſedentium. ¶ Talis enim quandiu erit in hac pœnitentia, non communicet, nec veniat ad oſculum pacis, nec vocetur, nec ſcribatur ad aliquod officiũ in eccleſia, quamuis ad officium ſtare poſsit, nec vlla ei, niſi ſeruitus, committatur obedientia: nec habitũ Religionis portet ante plenariam ſatisfactionem. Si fuerit Sacerdos, vel prædicator, vel diaconus, vel ſubdiaconus ijs officijs nõ fungatur, niſi poſt modum religiosè fuerit conuerſatus. Frater autem in quacunque pęnitentia exiſtens, de cuius fuga non timetur, extra carcerem ſit, & ad omnes horas diurnas pariterq̃ nocturnas vadat: neq; per domum ambulet, niſi à choro, vel refectorio in cellã. Qui autẽ cũ eo locutus fuerit, ſine expreſſa licẽtia Prioris, pœnæ grauis culpę ſubiaceat.

¶ Si quis conſpirans, vel per malitioſam cõcordiam in Priorem ſuũ manifeſtò criſtas erexerit, modo ſupra dicto pœniteat, & vocem in Capitulo non habeat, donec per generale, vel Prouinciale Capitulum cum eo fuerit diſpenſatũ. ¶ Quicunque verò pœnitentiam grauioris culpæ portat, iuxta Ordinis inſtituta, donec ipſam cõpleuerit, à primo die ad vltimum vſque careat habitu profeſsorum.

¶ Tempus huius pœnitentiæ hoc cap. non taxatur, videtur attribui voluntati Prælati.

C A P. L.

De grauißima culpa.

Cōstitutio GRauisima culpa est, obstinatio, & incorrigibilitas in aliquo, vel aliquibus peccatis : vel peruicacia illius qui nec culpas timet cōmittere, & pœnas ferre recusat; de quibus admonetur in Regula, præcipiendo, vt si ipse non abcesserit, de vestra societate proijciatur. Et Apostolus Paulus hæreticum hominem, post trinam admonitionem factam, tanquam peccantē peccatum deuitari iubet; quoniā subuersus est, qui huiusmodi est. ¶ Hic quidem habitu exutus, sicut è corde professionem abiecit, sic & professionis habitum deponere cogatur. ¶ Et si Sacerdos est, verbaliter degradetur, & suspensus & infamis tamquam secularis habitu vili & seculari indutus ad seculum remittatur. ¶ Quòd si non ita pernitiosus est, & vsque ad illam horam sani capitis & integri sensus extiterit; sibi etiam in habitu seculari existenti licentiam demissoriam de consensu Generalis largiantur. ¶ Nam sub qualibet occasione non est danda licentia recedēdi, ne Canonica disciplina veniat in contemptum. ¶ Dum habitus Canonicæ Religionis despicitur in indignis. ¶ Nec vllus Apostata licentietur, nisi prius reuertatur ad Ordinem, & saltim

per

per duos menses, vel amplius; provt sua merita exigent, in vinculis steterit. ¶ Et ex tunc, si expedierit, Prior Generalis, vel Prouincialis, vt dictũ est, sibi etiam dimissoriã largiatur. ¶ Forma verò literarum dimissoriarum talis erit.

¶ Vniuersis præsentes literas inspecturis, Frater. N. humilis Prior Generalis totius Ordinis, &c. vel Prior Prouincialis Prouinciæ Aragoniæ ac Valentiæ Ordinis Herem̃. sancti patris nostri Augustini de obseruantia, salutem in Domino sempi. ¶ Ad vestræ charitatis notitiã cupio peruenire, quòd Fratri. N. clerico, vel laico nostri Ordinis professo præsentium exhibitori, ad Ordinem sancti Benedicti, vbi vigeat obseruantia regularis, vel Cistercientium, seu Carthusiensiũ, excepto Ordine, siue collegio monachorũ quorumcunq;, in quibus de facto minor religio obseruatur: de consensu Reuerendissimi patris nostri Generalis, concedo licentiã transeundi, assignans ei terminũ trium mensium ad ingressum procurandum alicuius dictorum Ordinũ, postquam dictus frater in aliquo dictorum Ordinũ Canonicam fecerit professionem, sit à nostra & nostri Ordinis obedientia absolutus. ¶ In cuius rei testimonium sigillum nostrum præsentibus duximus apponendum. Dat. in, &c.

¶ Si autem eum noluerint recipere intra Ordinem, carceri perpetuò mancipetur.

¶ Præcipimus districtè, vt nullus deliberatè petat licentiam transeundi ad aliquod Collegium quorumcunque Religiosorum: vbi non vigeat de facto disciplina & obseruãtia regularis. ¶ Cõtra facientes pœnã Apostasiæ incurrant ipso facto.

¶ *Soli Deo laus, honor, & gloria.*

Index rerum quas hæ Constitutiones præcipuè continent.

¶ A.

ABsoluere ab obedientia iniuncti muneris Prior sibi subditum quando debeat. Pag. 40

Accusans aliquem, nec probans delictum, pœnam talionis recipiat. pag, 34

Acta in capitulo Prouinciali defferat discretus ad suum conuentum. pa. 121

Alterius Prouinciæ fratres quomodo recipiēdi. 125

Ambientium uota quæ pœna. 95

Antiphonæ natiuitatis beatæ Mariæ, & Crucis quo modo singulis diebus decantentur. 25

Apostatæ usq; ad tertiam apostasiam recipi poßint à Prouinciali. 124

Apostatæ quomodo recipiendi & puniendi. 157

Auditores in fine suorum studiorum examinentur. 134

Arma nullus habeat aut deferat. 146

¶ B.

¶ Balnea nemo adeat sine consilio medici & licentia Prioris. 55

Beatæ uulgo dictæ, quæ admittendæ sunt. 43

Pro benefactoribus nostris uiuis & defunctis dicantur semper post primam preces. 24

Bona morientium & libri cuius conuentus sint. 57

C.

Calendarium quale esse debeat. 26
Capitulũ de culpis quibus diebus & quo ordine habeatur. 30
In capitulo nullus loquatur, nisi cum priore obtenta prius ab eodem licentia. 31
Casus Priori reseruati & pœna absoluentis ab ipsis. 42
Cantoris & Vicarij Chori officium. 26
Ceremoniæ ordinarij nostri seruandæ ubiq; tam in Choro, quàm in Ecclesia. 26
Cellæ nostræ quales sint & de ipsarum suppellectile. 90
Cellam alterius intrans cui pœnæ subiaceat. 91
Cellarum fores qualem ceram habeant. 92
Capitulo Prouinciali nullus Prior desit. 111
Casus in quibus deponendus est Prior. 111
Choro nullus desit in maximis solennitatibus. 134
Quibus cibis nos uti oporteat, 83
Collationis faciendæ ratio. 85
Confeßiones secularium audire & publicè concionari quibus & quomodo liceat. 42
Confeßionaria fiant in omnibus conuentibus & eorum usus. 46
Conualescentium & infirmariorum leges. 55
Confeßio sacramentalis qua hora, quibus diebus & quibus sacerdotibus tam à nouitijs, quàm à profeßis & cæteris omnibus facienda sit, 41

Colle-

Collecta per totam prouinciam fiat ad subleuandam pauperiem monasteriorum indigentium. 130
Concio ad populum quibus diebus habeatur. 138
Constitutiones hæ non obligant ad peccatum mortale, sed tantùm ad pœnam; nisi iam præceptum uel contemptus accesserint. 21
Constitutiones hæ affigantur in locis publicis omniũ conuentuum. 20
Clericorum fratrum ignorantium legere pœna. 24
Contemplationi post completorium nullus desit. 25
Correctiones nostræ non imittentur forum contentiosum. 33
Correctionem Religionis declinans carceri tradatur. 33
Corripere inferiorum culpas qua ratione debeat superior. 141
Complex eiusdem criminis non potest aduersus alterum complicem actor aut testis esse. 34
Culpa in refectorio quibus diebus dicatur. 30
Culpæ in Capitulo quomodo proponantur. 32
Culpam suam confiteri renuens quomodo corripiendus & puniendus sit. 32
Cucullæ nigræ quando non dimittendæ. 87

¶ D.

¶ Defunctorum officium pro fratribus decedẽtibus, consanguineis, ac benefactoribus nostris quomodo annuatim celebretur. 38

Deposita cuiuscunq; personæ nullus frater recipiat, nisi Priore & Conuentu consentiente. 100
Diffinitorum electio & munus. 119
Diffinitorũ interest de uita, moribus & solertia Prouincialis inquirere : ipsum corripere, & si oportuerit deponere. 126
Diffinitor ad capitulũ generale nomine totius Prouinciæ mittendus eligatur à capitulo Prouinciali proximo. 129
Disciplina cum Miserere quando habeatur. 26
Discreti electio & officium. 103
Dispensare non potest in his constitutionibus Prælatus aliquis, nisi maxima urgente neceßitate, & de consilio seniorum. 20
Diuinum officium recitetur per totum annum iuxta formam Breuiarij nuper æditi ex decreto concilij Tridentini. 23
Circa diuinum officium soliciti sint Priores & Prouinciales. 24
Diuino officio qui absuerit, uel aliquid errauerit cui pœnæ subiaceat. 27

¶ E.

¶ Ecclesia quibus horis claudatur. 52
Electiones nostræ quomodo faciendæ. 93
Electio Prioris Prouincialis uel localis & Vicarij canonica sit, diffinitores uerò scrutatores & depositarij erunt qui plures uoces habuerint. 94
Electoria uoce qui careant. 94

Electus

Electus ad Episcopatum uel Abbatiam non consentiat absq; ordinis licentia. 96
Eleuationi hostiæ omnes capita nudent & flectant genua. 36
Aedificare nihil poßit Prior, nisi de Architectorum & conuentus consilio. 111
Euntes fratres & redeuntes plurium dierum iter quas preces debeant recitare. 34
Eucharistiam recipere quoties & quando debeant fratres. 48
Excommunicationem ferre solus Prouincialis potest, aut uisitator eius loco. 113
Excommunicationis ferendæ modus. 114

¶ F.

¶ Falsi testis pœna. 147
Festis diebus sine maxima neceßitate nullus domum exeat. 79
Fœminæ qua ratione eloquendæ, 44
Fœminæ infirmæ confeßio quomodo audienda. 45
Fœminæ quando & quomodo conuentus nostros intrare permittendæ sint. 52
Fenestræ ferreæ Monialium uirgulas habeant accutas. 47
Fenestra ad corpus Christi recipiendum nulli alteri usui sit. 47
Fornicarij pœna. 147
Fratribus decedentibus uel Summo Pont. alijsq; Prælatis quomodo suffragandum sit. 37

Furan-

Furantium aliquid pœna. 156
Fugientis & adiuuantis alium in fuga pœna. 157

¶ G.

¶ Reuerendiß. P. Generali in omnibus obediatur, collecta à tota prouincia exhibeatur. 129
Grauis culpa quomodo comitatur. 161
Pœna grauis culpæ. 163
Grauior culpa quæ sit. 163
Pœna grauioris culpæ. 165
Grauißima culpa quæ sit. 166
Pœna grauißimæ culpæ. 167

¶ H.

¶ Hospites quomodo recipiendi. 71
Hospitum uictus. 73
Hospites personæ graues quomodo tractandi. 72
Hospites in capitulo quomodo se habeant. 73
Hospites si delinquant qua ratione sint corripiendi. 75
Hospitium separatum in quouis conuentu habeatur. 75
Hospes non maneat nisi.20. diebus 76

¶ I.

¶ In uisitandis & curandis infirmis Prior exhibeat se maximè solicitum. 54
Infirmis quæ liceant, & quæ non. 55
Infirmis quãdo ministranda sacramenta & quomodo ipsis aßistendum. 56
Infirmorum quanta sit habenda cura. 53

Ieiunia

Ieiunia nostræ Religionis. 83

Ad itinera quomodo fratres prouidendi. 155

Inuentarium librorum & aliorum bonorum fiat singulis annis in omnibus conuentibus. 152

¶ L.

¶ Laicorum fratrum officium. 27

Laicis fratribus qui libri permittantur. 28

Laici fratres ignorantes legere non discant illud in Religione. 28

Laicis fratribus nullo modo cōcedatur corona. 29

Laici fratres non accipiant pretia ab externis, nec exerceant medicinam aut chyrurgiam. 29

Laici fratres quod officium exercebant in seculo idem in religione præstent, aut aliud discant sibi congruens. 29

Lampas in dormitorio tota nocte ardeat. 50

Lectores & auditores Theologiæ, & Philosophiæ quas leges in lectionibus & disputationibus suis obseruent. 132

Lectoris officium nullus Prior exerceat 133

Lectorum priuilegia. 134

Leuis culpa quomodo comitatur. 160

Pœna leuis culpæ. 161

Libri habendi ad usum Chori & sacristiæ. 138

Libros prohibitos uel profanos habentis pœna. 138

Licentiam maioris obtineat egrediens à Choro. 35

Libri fratrum ad quem conuentum pertineant primum folium in singulis indicabit. 57

Litteræ Apostolicæ quibus hæ Constitutiones innituntur in archiuo conuentus Valentini continentur. 20
Sine litteris testimonialibus nullus frater uagetur. 73
Litteras fratribus Missas Prior legat. 115
Litteræ à Summo Pont. uel à Reuerendiss. Generali missæ, si elapso capituli die offerantur non aperiantur, donec omnes Priores recesserint. 116
Litteras nullus mittat, quæ non contineant apertissimè ipsius nomen. 151
Litterarum dimisoriarum forma. 167

M.

Magisterij gradus quibus interdicat. 136
Matutinas qui conuentus debeant matutina nocte recitare. 24
Magistrorum promotio & priuilegia. 135
Mensa prima nunquã careat medietate fratrũ. 84
Mittentis literas infamatorias pœna. 149
Missæ conuentus qui debeant adesse. 35
Missæ qualiter celebrandæ. 102
Missæ eleemosynam accipiens intra. 24. horas sacristæ eam offerat, uel Priori. 123
Modus eundi & intrãdi in Chorum, ratioq; in diuinis precibus obseruanda. 23
Monialium monasterium sine iusta causa ingrediens cui pœnæ subiaceat. 46
Monialium monasteria in quibus casibus fratres nostri poßint ingredi. 47

Moniales sine licētia Prouincialis nullam puellā admittant ad habitum. 47
Monialium confessor & sotius sint senes. 48
Moniales quascunq; nullus frater sine licentia Prioris uisitet. 48
Mulam nullus habeat ad &c. 153
Mutantes conuentum, quæ habent Priori manifestent. 92

¶ N.

¶ Nouitij quibus diebus disciplinam habeant. 26
Nouitij qui & quomodo recipiendi sint. 58
Nouitiorum ætas. 61
Nouitiatus tempore nullus domum exeat. 61
Nouitijs concionari uel confeßiones audire non permittatur. 44
Nouitiorum mores quomodo agnoscendi. 64
Nouitio seculum repetenti, nisi eadem die ad nos redeat, tempus præcedens non inseruiat. 64
Nouitiorum Magister qualis sit. 64
Nouitijs capitulum quomodo faciat. 65
Nouitij in quibus instruendi. 66
Nouitij in quibus monasterijs recipi debeant, & educari. 67
A nouitiatu qui debeat excludi. 63

¶ O.

¶ Officium (cum nobis à superiori iniungitur) quomodo nos geramus. 38

Officia omnia domus in solius Prioris uoluntate cõsistant. 39

Officium aliquod non recipiat, qui non expleuerit triennium post profeßionem. 70

Ordines ad sacros quomodo & qui promoueantur. 131

Ordo habendus in mensa & refectorio. 36

Ordinis alterius qui fratres ad nostrum poßint admitti. 63

Ordinatus sine licentia cui pœnæ subiaceat. 132

Ordinetur nullus ante biennium post profeßionem. 132

¶ P.

¶ Pœnitentia imponatur (explicata prius culpa ob quam iniungitur) ut sit locus reo ad se tuendum. 35

Prandij & cœnæ tempus, ordo, lectio, & ratio. 80

Prandij & cœnæ finis. 82

Pœna falsificantis seu aperientis litteras Prælatorũ & destruentis indulgẽtias, priuilegia aut instrumenta aliqua. 144

Pœna percutientis aliquem, uel in uitium carnis labentis, uel reuelãtis secretum aliquod capituli aut domus. 144

Prædicare aut confeßiones audire nullus poßit sine examine. 136

Prædicare qui debeant & quomodo. 136

Prædicantium priuilegia. 137

Prior

Prior quæ officia domus poßit cõmittere. 39
Priori semper parendum est. 39
Prior nunquam desit refectorio, nisi ex iusta causa. 84
Prioris electio quomodo fiat. 105
In Priorem qui eligi non poßit. 105
Prioris officium, auctoritas, & cura. 107
Prior quando debeat diuino officio interesse. 108
Prior officinas sui conuentus uisitet, & utilitate augeat. 109
Prior præter tres dies non absit à suo conuentu. 110
Prior de bonis conuentus nihil recipiat aut retineat, sed statim depositarijs tradat. 111
Priores eligantur iuxta suum tempus expleto triennio. 121
Prioris non prouidentis sibi subditis de necessarijs pœna. 155
Prandeat nemo extra conuentum, nisi rarò & apud personas graues. 79
Procurator quomodo se gerat in suo officio, & in reddenda ratione de pecunijs & alijs rebus sibi commißis. 99
Procurator laicus in omni conuentu fiat ad exigendos redditus. 101
Procurator alicuius Episcopi, uel domini temporalis capellanusue aut officialis, nullus frater sit. 101
Ad procuratorem quæ pertineant. 100
Profeßionis faciendæ modus. 68

Proijciatur incorrigibilis. 143
Proprietarij pœna. 151
Prouinciale capitu. quomodo & quando celebran-dum. 115
Prouincialis ætas. 127
Prouincialis officio quis indignus. 118
Prouincialis in quibus debeat uti consilio diffinito-rum. 120
Prouincialis præcedens in diffinitorē uel Priorem non eligatur. 121
Prouincialis officium. 122
Prouincialis quæ debeat examinare. 124
Prouincialis quomodo recipiendus in hospitio. 123
Prouincialis non accipiat munera. 125
Prouincialis constitutiones semper secum dese-rat. 125
Prouincialis in quibus casibus debet subiacere cen-suræ diffinitorum. 126
Prouinciali defuncto aut deposito quomodo eligatur præses prouinciæ. 127

¶ R.

¶ Recreatio aliqua nonnunquam fratribus conce-datur & quomodo. 140
Rasura quoties & quomodo fiat. 92
Redeuntes domum cuculis induti accipiant benedi-ctionem à maiore. 79
Reponere aliquid extra conuentum, aut dare nullus posit. 154

Ad

Ad refectorium nihil sine Prælati licentia deferatur. 82
In refectorio qui aliquid frangit culpam dicat. 82
Responsorium defunctorũ quando dicatur post missas, laudes & prandium. 25
Reuelantis secreta pœna. 147

¶ S.

¶ Sacristæ officium. 102
Sacristiæ ornamenta. 139
A sacristia uel bibliotheca, nihil uendi, alienari, rapi, aut in pignus tradi poßit. 139
Scapulario & cuculla exutus nullus cellam egrediatur, uel dormiat. 88
Secularium testimonium apud nos quando admitti poßit. 34
A sententijs & censuris in his constitutionibus latis nullus absoluatur, absq; speciali Prouincialis licentia. 150
Silentiũ quibus locis & temporibus obseruetur. 50
In silentio nunquam licet dispensare. 51
Simoniam committentis pœna 62
Simoniaticè receptus excludatur ab ordine. 63
Solus nullus incedat per populũ, nec detur alicui facultas eundi per prouinciã, nisi neceßitate urgẽte. 76
Subprioris officium. 97

¶ T.

¶ Tarde ad officium quis ueniat, & cui pœnæ subiaceat. 35

Tar-

Tarde quis ad capitulum ueniat. 36
Tarde nemo domum ueniat. 79
Tranſeuntis ad alium ordinem pœna. 159
Tranſire ad ordinem in quo non uigeat regularis obſeruantia nullus permittatur. 168
Tunicis lineis nullus utatur, niſi urgente neceßitate, & cum licentia. 88

¶ V.

¶ Veſtes noſtræ quales eſſe debeant. 82
Veſtes quæ prohibeantur. 88
Veſtes quo tempore & modo fratribus debeant exiberi. 89
Vicarium Prior aßignare poteſt, ſi conuentus ſubpriore careat. 98
Vicariū eligat conuentus ſubpriore carens cum itur ad capitulum. 104
Vicarij auctoritas eadem eſt quæ ſubprioris. 103
Vicarium, alium Vicarium ſubſiſtere non poteſt. Poteſt tamen ſubprior à diffinitorio creatus. 110
Vigilia beatæ Mariæ, quæ dicitur benedicta, quando & quomodo recitanda ſit in Choro. 25
Viſitētur conuentus à Prioribus quater in anno. 91
Viſitatorum electio & officium. 128
Viſitatoris auctoritas quando ceſſet. 128
Viſitator quando & quomodo debeat conuentus ſibi commiſſos uiſitare. 128
Vitium indicibile confeſſus, aut de eo conuictus, nullius officij eſt capax.

LAVS DEO.

Valentiæ.
Ex typographia Petri à
Huete.
1571.


colorchecker CLASSIC
calibrite
mm